



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

Tractatvs IX. In Libros Aristotelis De Posteriori Analysi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95346)

CCXVII. Objicies 2^o. eo tempore quo assenti-
mur conclusioni, licet assensus præmissarum defie-
rint, manent in intellectu eorum habitus, qui vices
illorum suppleant, ergo, &c.

CCXVIII. Respondeo negando antecedens, pro

2^a. parte, nam proprium habituum non est fungi
munere actuum, à quibus producuntur; sed tan-
tum intellectum inclinare & facilitare ad actus si-
miles illis, à quibus producuntur: deinde, ut dixi-
mus, non dantur habitus in intellectu.

TRACTATUS IX.

IN LIBROS ARISTOTELIS

DE POSTERIORI ANALYSI.



Uta hîc tractat Aristoteles, quæ in scopum
nostrum non collimant, & minus necessaria
videntur ad Theologiam, ad quam præsentis
Tractatus specialiter ordinamus; quia ta-
men postquam de Præmissis disputatum est, ordo &
doctrinæ scopus exigunt, ut de Demonstratione &
scientia Demonstrationis effectibus agamus, primùm
de illa: deinde de Scientia in genere: denique de Sci-
entia in particulari, videlicet Logica, ad complemen-
tum hujuscè Commentarii, disputabimus.

DISPUTATIO PRIMA.

De Demonstratione.

DUBIUM I.

*Quomodo rectè definiatur demonstratio
in genere.*

RESOLUTIO I.

Dico 1^o. præter Demonstrationis
definitiones ab Aristotele cap. 2^o
allatas, non malè hæc à multis ad-
fertur: Demonstratio est syllogismus
constans ex propositionibus veris, ne-
cessariis & prioribus ipsa conclusione: ly Syllogismus est
genus definiti, cætera differentie locum obtinent,
& per ea demonstratio differt à Syllogismo diale-
ctico, Sophistico, &c. comprehendit tamen omnem
Syllogismum Theologicum, constantem unâ præ-
missa de fide, aliâ naturali certâ, conformiter ad
communem sententiam docentem Theologiam ef-
fe veram scientiam; non quidem prout scientia fuit
in mente Aristotelis certa naturaliter, sive per evi-
dentiam naturalem; quia certitudinem hanc ad
scientiam requisivit, eò quòd aliam divinæ revela-
tionis istâ majorem, ex ignorantia fidei, non agno-
verit; sed prout certa est in mente fidelis Theologi,
certitudine revelationis divinæ, sicut alterius præ-
missarum, ad quam maximè attendere debemus.
Pro majori tamen definitionis intelligentia, sit

PARAGRAPHVS I.

*Cur in definitione dictum sit ex veris, & non
ex verioribus intensivè & formaliter.*

Respondeo, quia una propositio non po-
test esse formaliter & intensivè verior al-
tera; ita PP. Suarez, Hurtadus, Arriaga, &c. Contra
Sotum, Toletum, Cajetanum, Masium, Mur-
ciam, &c.

III. Probatur ex Aristotele, ab eo, quod res est,
vel non est (puta prout esse per propositionem enun-
tiatur) propositio est vera, vel falsa; una autem res nec
magis est, nec magis non est, quam alia; licet fortè
magis necessario sit, vel nò sit, & idèd una proposi-
tio sit magis vel minus necessaria, quàm alia, sive id-
eò uni magis repugnet falsitas, quàm alteri, ut
Deus est existens, Petrus est existens; quo sensu Deus
dicitur magis ens, quàm creatura quævis, & pro-
positiones fidei veriores naturalibus. Dic propor-
tionaliter idem de propositionibus falsis, his v. g.
Petrus est brutum, Petrus est doctus. illa enim minus
necessario est vera, quàm hæc, sive illi magis re-
pugnat veritas, quàm huic.

IV. Confirmatur, veritas est quædam similitudo,
æqualitas & identitas actus in representando, cum
objecto in essendo; sed ut summum ratione fun-
damenti

damenti una ex illis est intrinsecè & formaliter major alià, ergò, &c. Probatur minor, quia illæ sequuntur conceptum unificantem, qui, quia non est intensior, sive unificet nanos, sive gigantes, in ratione hominis; sive palmos sive ulnas, in ratione quanti; sive albedines intensas, sive remissas, in ratione similis; idè non est identitas intrinsecè major inter gigantes, quàm inter nanos, æqualitas intrinsecè major inter ulnas, quàm inter palmos, &c. ergò, &c.

v. Idem dic proportionaliter de Propositione quoad falsitatem contra PP. Ovidium de anima Cont. 7. punct. 3°. Suarez, Hurtadum, Arriagam, &c. si enim actus, quo dico *decem Philosophi scribunt*, videatur falsior, si quatuor tantum scribant, quàm si septem scriberent, non idè est, quia est intrinsecè & formaliter falsior; sed quia extrinsecè & materialiter talis, videlicet, quia extenditur ad plura objecta, quibus diffinitur; quò sensu, etiam dici potest hanc Propositionem, *Paulus est homo*, esse extensivè veriorē hanc, *Petrus est substantia*; quia extenditur ad plura objecta, sive prædicata essentialia, quibus conformatur.

vi. Dices tamen, conclusio est vera propter præmissas; ergò præmissæ sunt veriores conclusione; probatur consequentia, ex illo Axiomate, *propter quod unum quodque est tale, & illud magis*.

vii. Respondeo negando antecedens, nam conclusio est vera, èd quòd sit suo objecto conformis, similis, &c. non verò propter præmissas; alioqui, contra Aristotelem, non posset ex præmissis falsis verum sequi, sed omne verum consequens præsupponeret præmissas veriores.

viii. Adde, istud Axioma sæpè fallere, ac 1°. semper in causis materialibus, *forma esteducta propter materiam*, ergò *materia est magiseducta*, quàm *forma*; formalibus, *paries est albus propter albedinem*, ergò *albedo est magis alba quàm paries*; & efficientibus, *homo est creatura propter Deum*, ergò *Deus est magis creatura*, quàm *homo*. 2°. etiam in motivis; nam qui credit Deum esse trinum propter revelationem divinam, non magis credit revelationi, quàm Deum esse trinum; alioqui esset magis certus de revelatione divina, quàm Deum esse trinum, quòd dici non potest, si quidem inter Propositiones fidei; una non est certior alterà, magis quàm autoritas Dei revelantis, sit uno tempore major, quàm alio; deindè, qui odit peccatum propter Deum, non magis Deum odit, quàm peccatum.

ix. Instabis, saltem illud Axioma habet locum in motivis naturalibus, ut clarè patet ex Aristotele 1°. Poster. cap. 20. *si ob ea scimus & credimus, & illa sanè scimus & credimus magis*; sed, quia præmissæ naturales sunt veræ, movetur intellectus ad conclusionem naturalem veram, ergò præmissæ, saltem naturales, sunt veriores conclusione.

x. Respondeo distinguendo majorem, saltem illud Axioma habet locum in motivis naturalibus, se habentibus per modum causæ finalis & mediocrum, ut *amo pharmacum propter sanitatem*, ergò *magis amo sanitatem*, quàm *pharmacum*; vel potius quando effectus intensibilis verè prædicatur de extremis realiter distinctis, uti in exemplo allato *ly amatum respectu pharmaci & sanitatis*, concedo majorem: in aliis, nego majorem.

xi. Dixi *intensibilis*, èd quòd *ly magis* id omninò significet, & alioqui effectus attributus definitioni propter definitionem, ut v.g. *Petrus est homo*

propter animal rationale, faceret animal rationale, magis hominem, quàm sit Petrus, ut consideranti patebit: undè hæc PP. nostrorum Complutensium pro veritate istius Axiomatis regula, (quam Logic. Disp. 18. in appendice ad q. 1. dicunt esse verissimam) *tunc valet Axioma istud, quando totus effectus potest reflecti supra totam causam*, non videtur ità nudè admittenda.

PARAGRAPHVS II.

Cur in definitione dictum sit ex necessariis, & non ex necessarioribus.

xii. **R**espondeo, quia illud est necessarius, quòd magis necessariò existit; objectum autem præmissarum non magis necessariò existit, quàm existat objectum conclusionis; nam idem sunt objectum conclusionis & præmissarum; unum verò & idem non potest magis & minus necessariò existere; hinc patet ulterius nobis hic objecti non posse Axioma de quo Paragrapho 1°. quia etiam objecta præmissarum non admittunt magis quoad necessitatem respectu objecti conclusionis.

PARAGRAPHVS III.

Cur in definitione dictum sit, ex prioribus ipsa conclusione.

xiii. **R**espondeo dictum ex prioribus, quia præmissæ continent causam conclusionis, puta in essendo pro demonstratione *propter quid*, & in cognoscendo pro demonstratione *quia*, de quibus dubio sequenti: hic addunt alii & *notioribus ipsa conclusione*; verum puto illas particulas omninò esse superfluas, quia præmissæ non movent intellectum ad assensum conclusionis, quia notiores, sed quia virtualiter continent conclusionem, vel potius, quia conclusio est eadem cum illis juxta illud Principium, *quæcumque sunt eadem uni 3°. &c. sunt eadem inter se*.

DVBIVM II.

Quomodo dividatur & subdividatur demonstratio in genere.

RESOLUTIO I.

xiv. **D**ico demonstratio in genere rectè dividitur in demonstrationem *propter quid*, seu à priori, & demonstrationem *quia*, seu à posteriori.

xv. Demonstratio *propter quid*, est, quæ per causam, vel quasi causam demonstratur effectus, ut *omne rationale est risibile*, *omnis homo est rationalis*, ergò *omnis homo est risibilis*.

xvi. Dixi vel quasi causam, puta formalem, saltem inadæquatam; quia alioqui, certum est, quòd definitio non sit causa definiti, tamen ex demonstratione *propter quid*, infertur definitum, ut *omne animal rationale est homo*, *Petrus est animal rationale*, ergò *Petrus est homo*.

xvii. Demonstratio *quia*, est, quæ per effectum, vel quasi effectum demonstratur causa, ut *omne risibile est rationale*, *Petrus est risibilis*, ergò *rationalis*.

xviii. Dixi

Dixi vel *quasi effectum*, puta formalem, saltem inadæquatam; quia alioqui certum est, quod definitum non sit effectus partis definitionis, tamen ex demonstratione *quia*, inferitur pars definitionis, ut *omnis homo est animal*, *Petrus est homo*, ergo *Petrus est animal*.

RESOLUTIO II.

XIX. **D**ico 2^o. demonstratio *propter quid*, dividitur in perfectissimam, & non perfectissimam: prior est per causam adæquatam, sive per definitionem: posterior, per causam inadæquatam, puta specificam, quia per genericam, sive non necessariò connexam cum effectū, videtur negare Aristoteles dari demonstrationem.

XX. Demonstratio *quia* subdividitur in demonstrationem *quia* ab effectū, *quia* à signo, *quia* à causa remota.

XXI. Demonstratio *quia* ab effectū, est syllogismus in quo medium est effectus, ut *omne risibile est rationale*, *omnis homo est risibilis*, ergo *omnis homo est rationalis*.

XXII. Demonstratio *quia* à signo, est syllogismus in quo medium est signum, ut *omne rotundum movetur circulariter*, *globus est rotundus*, ergo, &c.

XXIII. Demonstratio *quia* à causa remota, est syllogismus in quo medium est causa remota, ut *omne respirans est animal*, *nulla planta est respirans*, ergo *nulla planta est animal*: dicitur autem respiratio causa remota animalis, quia, sicut datur animal non habens cor calidum nec pulmones, à quibus est respiratio; ita datur animal, quod non respirat, ut piscis; unde per causam remotam intelligimus inadæquatam, quæ cum effectū non convertitur.

DUBIUM III.

Quomodo differant demonstratio propter quid & quia.

RESOLUTIO.

XXIV. **D**ico Demonstratio *propter quid* & *quia* differunt specie.

XXV. Probatur: 1^o. quia ratio communis Demonstrationis ab illis præscindit: 2^o. quia illam participant univocè: 3^o. quia inter se differunt essentialiter, ergo, &c. antecedens patet pro 1^a. parte ex definitione Demonstrationis in genere. Probatur pro 2^a. parte, quia eodem modo se habent Demonstratio *propter quid* & *quia* ad Demonstrationem in genere, quo se habent *homo* & *brutum* ad animal in genere, ergo, &c.

XXVI. Confirmatur, sola difficultas esse potest de Demonstratione *quia*; sed illa participat univo-

cè rationem Demonstrationis, ergo, &c. Probatur minor, quia juxta Aristotelem & reliquos Philosophos, omnis Syllogismus, participat univocè rationem aut Dialectici, aut Sophistici, aut Demonstrativi: Demonstratio *quia*, rationem Dialectici non participat; quia Dialecticus constat ex probabilibus tantum, ille ex necessariis; & generat tantum opinionem, ille scientiam: neque etiam, Sophistici; quia Sophisticus constat ex veris apparenter tantum, ille ex reipsa veris; item hic gignit tantum errorem, ille scientiam, ut dictum est; ergo participat univocè rationem Demonstrativi, sive Demonstrationis.

XXVII. Probatur 3^a. pars, quia Demonstratio *propter quid* & *quia* dicunt ordinem essentialem ad diversa media, & principia diversimodè illam causantia, ergo, &c. Probatur antecedens, quia Demonstratio *propter quid* (puta prout est scientia) dicit ordinem ad causam in essendo; Demonstratio verò *quia* ad causam in cognoscendo tantum, ut vidimus, ergo, &c.

XXVIII. Dices tamen, de principiis non datur Demonstratio; sed conclusio Demonstrationis *quia* est Principium; nam potest esse præmissa Demonstrationis *propter quid*; ergo, &c.

XXIX. Respondeo distinguendo majorem, de Principiis per se notis, evidentibus & generalissimis, quales sunt quodlibet est, vel non est: quæcumque sunt eadem uni 3^o. sunt eadem inter se, &c. Non datur Demonstratio, concedo majorem: de obscuris & particularibus, nego majorem; quidni enim de illis posset dari Demonstratio à posteriori? imò sæpè necessaria est de illis, ut certius principient, Demonstratio.

XXX. Instabis, Demonstratio *quia* non potest gignere scientiam; ergo non est vera Demonstratio: probatur antecedens, quia juxta Aristotelem *scire est causam nosse*, ob quam res est, & scientia est cognitio rei per causam, ob quam res est; sed Demonstratio *quia* est tantum cognitio rei per effectum, & non per causam, ergo, &c.

XXXI. Respondeo negando antecedens, ad ejus probationem distinguo, *scire est causam* in essendo vel cognoscendo nosse, &c. concedo antecedens; in essendo determinatè, nego antecedens; Demonstratio autem *quia* est cognitio rei per causam in cognoscendo; quia, ut supra dictum est, effectus, signum &c. sunt talis causa: sic patet ad Definitionem scientiæ ab Aristotele traditam; si tamen velis Aristotelem per illam solum intendisse definire scientiam, quæ habetur per Demonstrationem à priori & *propter quid*, Scientia aliter à nobis definitur, cognitio certa & necessaria deducta per discursum formalem, quæ convenit conclusioni Demonstrationis *quia*, ut patet.

DISPUTATIO SECUNDA.

De Scientia in genere.

DUBIUM I.

Quid sit Scientia.

RESOLUTIO.

XXXII. **D**ico, nomen Scientiæ multipliciter sumitur.

XXXIII. 1^o. Latissimè, pro quavis cognitione si-

ve discursiva, sive non; sive certa, sive incerta; & scire hoc modo, idem est, quod simpliciter cognoscere.

XXXIV. 2^o. Strictè, pro quavis cognitione certa, sive naturali, sive supernaturali, quomodo Deus omnia scit, & dicimur scire ea, quæ per fidem Divinam, sensum vel experientiam cognoscimus.

3^o. Strictius,

xxxv. 3^o. strictius, & ad nostrum intentum magis accommodatè pro quavis cognitione discursiva certa & infallibili, abstrahendo tamen, an sit obscura, vel clara: sub hacque comprehenditur Theologia.

xxxvi. 4^o. strictissime & juxtà mentem Aristotelis pro cognitione discursiva certa naturaliter, ac proinde evidente, abstrahendo tamen, an sit per causam vel effectum, ut comprehendas demonstrationes propter quid & quia, conformiter ad hanc acceptionem definibiles. Pro horum tamen majori intelligentia, sit

PARAGRAPHVS I.

Quid sit certitudo & evidentia in actibus intellectus, & quod simplex.

RESOLUTIO I.

xxxvii. Dico 1^o. Certitudo est necessaria veritas, five talis, cujus loco poni non possit falsitas: patet, quia sic clarè distinguitur à probabilitate, cui certitudo, quādam proportionē servatā, opponitur.

RESOLUTIO II.

xxxviii. Dico 2^o. Certitudo est triplex, Objecti, Cognitionis & Cognoscentis.

xxxix. Certitudo objecti five objectiva est connexio necessaria & immutabilitas extremorum, vel secundum se, ut homo est rationalis; vel ut subsunt principio adequatè certo, ut Petrus ambulat, posito quoddam videam, canis Tobie habuit caudam, posito quoddam Deus id revelavit.

xl. Certitudo cognitionis five formalis est necessaria veritas actus, orta ex certitudine objecti, ut conformitas actus, quo dico Deus est bonus, homo est rationalis: & hæc est duplex, naturalis quidem, si orta sit ex certitudine naturali objecti; & supernaturalis, si orta ex certitudine supernaturali.

xli. Certitudo cognoscentis est firma intellectus adhesio alicui objecto; non quidem ex efficaci imperio voluntatis, errore vel pertinacia intelligentis; quia hæc ut summum fundare possunt affectivam certitudinem, & pertinacem in cognoscendo perseverantiam; sed ex certitudine objecti & cognitionis orta, quæ sola est affectiva & formalis.

RESOLUTIO III.

xlii. Dico 3^o. certitudo objecti & cognitionis, iterum est triplex, moralis, Physica & Metaphysica.

xliii. Certitudo moralis est, quæ habetur ex motivis, Physicè quidem fallibilibus, moraliter tamen infallibilibus, five talibus, ut illis positis rationabiliter de objecto dubitari non possit, ut certitudo de existentia Romæ, quam omnes communiter dicunt existere: si verò petas an certitudo de existentia objecti revelati in se tantum probabilis, ut quod canis Tobie habuerit caudam, sit quoad nos moralis tantum? Respondeo affirmativè; quia licet nullus, nisi irrationabiliter, cum peccato ac fidei injuria de eo dubitari possit; potest tamen secundum principia illius Physica; quia nulla est necessaria connexio Physica causæ cum

R. P. Francisci Bonæ Spei Logica.

cane Tobie, & multò minus Metaphysica: imo de ipsa revelatione, nulla est quoad nos certitudo Physica.

xliv. Certitudo Physica est, quæ habetur ex principiis Physicis, five naturali cursu rerum, quæ naturaliter Physicè (licet possint supernaturaliter) aliter se habere non possunt, ut certitudo de sub- existentia subjecti substantialis ex mixtione accidentium.

xlv. Certitudo Metaphysica est, quæ habetur ex objecto, quod ne supernaturaliter quidem mutari possit, ob necessariam extremorum inter se connexionem, ut certitudo de homine, quod sit rationalis.

RESOLUTIO IV.

xlvi. Dico 4^o. evidentia est certitudo clara, orta ex evidentia five visione objecti, vel, ut alii, ex principiis, quæ naturaliter (quantum experientia naturalis nos docet) alio modo se habere non possunt, quàm cognoscantur; assignarique potest duplex, moralis & Physica; addit Metaphysicam P. Ovidius Logic. cont. 10. punct. 3^o. quæ oriatur ex principiis naturalibus, quæ supernaturaliter aliter se habere non possunt, & pro illius exemplo assignat omne totum est majus sua parte, verum non satis aptè; quia isti exemplo, quatenus subest visioni, supernaturaliter falsum subesse potest; facere enim potest Deus, ut partem prout totum, & ex duabus partibus æqualibus unam ut partem, aliam ut totum videamus: undè evidentiam Metaphysicam propriè dictam non agnoscimus, & illi semper falsum supernaturaliter subesse posse, non secus ac visioni, arbitramur.

xlvii. Evidentia autem moralis est, certitudo moralis clara, orta ex visione objecti, &c. Physica, certitudo Physica, &c.

PARAGRAPHVS II.

Quæ Certitudo & evidentia ad Scientiam requiratur.

RESOLUTIO I.

xlviii. Dico 1^o, five agatur de Scientia 3^o modo ex dictis num. 35. sumpta, five 4^o, & juxtà mentem Aristotelis, præmissæ non debent esse certiores & evidentiores conclusionē scientificæ.

xlix. Probatur 1^o, quia conclusio scientifica sequitur certitudinem & evidentiam præmissarum, ita scilicet, ut si utraque sit certa & evidens propter certam & evidentem identitatem objectivam cum 3^o, ipsa sit eodem modo certa & evidens propter certam & evidentem identitatem suorum extremorum inter se, quia eadem certitudine & evidentia, quæ duo sunt eadem uni 3^o, sunt eadem inter se, ergo, &c.

l. Probatur 2^o. non assentimur conclusioni propter præmissas, quia scilicet præmissæ sunt certiores conclusionē, sed quia ostendunt evidenter prædicatum & subjectum conclusionis esse eadem uni 3^o, ac proinde inter se, juxtà hoc Axioma, Quæcumque sunt eadem uni 3^o, sunt eadem inter se.

R

Con-

LII. Confirmatur 1^o. certitudo est necessaria veritas, sed præmissæ, uti Disp. 1^a, de Demonst. Paragraph. 1^o, probatum est; non sunt veriores conclusioni, ergo, &c.

LIII. Confirmatur 2^o, objectum conclusionis est idem cum objectis præmissarum; sed certitudo & evidentia præmissarum petitur ab objectis præmissarum, ergo, &c.

LIII. Obijcies 1^o, ex P. Arriaga, ubi sunt plura capita fallibilitatis, minor est de illis evidentia & certitudo; sed in conclusione sunt plura, quam in præmissis, quia in illa attinguntur objecta præmissarum, ergo, &c.

LIV. Respondeo concessâ majore, negando minorem; ad ejus probationem, concessio antecedente, negò consequentiam: & ratio est, quia tam objecta præmissarum, quam conclusionis, sunt infallibilia; non est autem major fallibilitas, ubi plura objecta infallibilia, quam ubi unum; sicut non est major contingentia, ubi tria necessaria, quam ubi unum; alioqui magis contingens esset, res Divinas Personas existere, quam Deum, quod est hæreticum.

LV. Ad Aristotelem verò dicentem, *Si ob ea scimus & credimus, & illa sanè scimus & credimus magis*, & Axioma, *propter quod unum tale*, &c. satisfactum est Disput. 1^a, Dub. 1^o, & ex illis in rigore sequitur hæresis, ut ibidem dicta consideranti patebit.

LVI. Obijcies 2^o, ubi una præmissa certa, alia probabilis tantum, præmissæ sunt, ut minùs, æquæ certæ, ac ipsa conclusio; ergo ubi utraque est certa, præmissæ sunt certiores conclusioni.

LVII. Respondeo negando consequentiam; supponitur enim falsum in antecedente, videlicet conclusionem esse certam, ubi una præmissarum tantum est probabilis, quod verum esse non potest; quia certitudo conclusionis sumitur ex identitate duorum inter se, eo quod sint necessariò eadem uni 3^o, non possunt autem esse plusquam probabiliter eadem uni 3^o, si altera præmissarum sit probabilis tantum; sicut enim unio media inter unum extremum incorruptibile & alterum corruptibile, est corruptibilis; ita conjunctio conclusionis quasi media inter præmissas certam & probabilem, ex quibus inferitur, est tantum probabilis; quia conclusio semper sequitur debiliorem præmissam, sicut unio debilius extremum. Unde

LVIII. Adde Conclusionem sequi naturam unionis; nam sicut hæc non potest esse necessaria, ubi alterum extremorum est contingens; ita conclusio non potest esse certa, ubi altera præmissarum est tantum probabilis. Ratio est quia sicut unio ab extremis sumit necessitatem aut contingentiam, ita conclusio à præmissis sumit certitudinem vel probabilitatem.

RESOLUTIO II.

LIX. Dico 2^o, Certitudo quædam moralis ad Scientiam sufficit, quædam non sufficit.

LX. Probatur 1^a pars, quia certitudo moralis, quæ fundatur in revelatione Divina, ut fundatur in revelatione Divina, major est illa, quæ fundatur in visione aut experientia humana; sed hæc ad Scientiam sufficit, ut omnes fatentur, ergo, &c.

LXI. Confirmatur, quia, licet certitudo moralis, quæ fundatur in revelatione Divina, attentis objecto præcisè & principis Physicis objecti, quoad nos sit fallibilis, quoad se tamen, & in se est infallibilis, & objectum consequenter prout illi subest est omnino infallibile, ergo, &c. Probatur consequentia, quia ut sic Scientia adhuc sufficienter distinguitur à Syllogismo probabili & sophistico, ergo, &c.

LXII. Probatur 2^a pars, quia certitudo, quæ fundatur in revelatione humana, est moralis, & tamen in se & quoad nos fallibilis & consequenter etiam objectum prout illi subest, est fallibile, ergo, &c.

RESOLUTIO III.

LXIII. Dico 3^o, sistendo in mente Aristotelis, ad Scientiam requiritur & sufficit certitudo & evidentia Physica: certitudo tamen Metaphysica infertur secundum maximam Scientiæ perfectionem.

LXIV. Probatur 1^a pars, quia de morali fundata in revelatione Divina nihil Aristoteles agnovit; sed ad Scientiam requisivit certitudinem aliquam; ergo Physicam.

LXV. Probatur 2^a pars, quia multæ sunt Scientiæ de objecto Physicè tantum certo, ut quod ignis sit calidus, aqua frigida, &c. alioqui, cum rerum essentias in se, aut à priori, certò non cognoscamus, sed in effectū, & à posteriori, quoad nos, nullæ essent Scientiæ, contra communem sensum Aristotelis & omnium Philosophorum post ipsum, ergo, &c.

LXVI. Adde præterea requiri certitudinem cognoscentis, alioqui intellectus non assecraretur de objecto; sed ei dubitanter assentiretur; ac proinde ex parte sua magis opinaretur, quam sciret.

DVBIVM II.

De Objecto Scientia in genere.

PARAGRAPHVS I.

Quid sit? variae ejus Divisiones & Subdivisiones.

RESOLUTIO I.

LXVII. Dico 1^o, Objectum Scientiæ in genere est illud, circa quod Scientia per se versatur, quodque ei considerandum obijcitur: hæc conclusio patet.

RESOLUTIO II.

LXVIII. Dico 2^o, Objectum Scientiæ in genere re dividitur in materiale & formale: materiale est subjectum cujusque conclusionis scientificæ: formale est id, ratione cujus dictum subjectum ab illa conclusione consideratur.

LXIX. Objectum autem materiale subdividitur in Adequatum seu totale, & Inadequatum seu partiale: 1^{um} est supra quod Scientia aliud objectum materiale non considerat: 2^{um} est pars aliqua objecti totalis; quod est duplex; unum attributum & secundarium, aliud attributionis & primum; Attributum est, quod, non propter se, sed in ordine ad aliud consideratur. Attributionis est, ad quod cætera omnia partialia ordinantur,

Objectum

LXX. Objectum formale subdividitur in formale quod, propter quod, & sub quo.

LXXI. Objectum formale quod, est formalitas, quæ de objecto materiali cognoscitur, sive est prædicatum cuiusque conclusionis scientificæ.

LXXII. Formale propter quod est ipsa ratio assentiendi seu medium demonstrationis, quod in actu signato ab ipsa conclusione formali attingitur.

LXXIII. Formale sub quo, est ratio quædam generalis petita ex natura & modo procedendi Scientiæ, sub qua omne objectum suum partiale considerat; non tamen à Scientia attingitur in actu signato; sed in actu exercito dumtaxat, ut sanabilitas corporis respectu Scientiæ medicæ, naturalitas ejusdem respectu Scientiæ Physicæ.

PARAGRAPHVS II.

Quale debeat esse objectum Scientiæ in genere.

RESOLUTIO I.

LXXIV. Dico 1^o, Objectum Scientiæ completum, id est, tota conclusio objectiva; & incompletum, id est, subiectum illius sumptum secundum esse essentia, id est, secundum quod habet connexionem cum suo prædicato, debet esse necessarium.

LXXV. Probatur, actus Scientiæ sumit certitudinem & infallibilitatem suam ab objecto; sed ille est certus & infallibilis; ergo illius objectum debet esse necessarium: probatur consequentia, certitudo & infallibilitas, ex prædictis, est necessaria veritas.

LXXVI. Obijcies tamen 1^o, Conclusio hujus Syllogismi, *Omne quod est progrediens movetur; sed video Petrum progredientem, ergo Petrus movetur*, est Scientia partialis; sed illa non est de objecto necessario, ergo, &c.

LXXVII. Respondeo distinguendo minorem, sed illa non est de objecto necessario necessitate absolutâ & Metaphysicâ, quasi verò esset inter Petrum & motum conjunctio absolutè & Metaphysicè necessaria, concedo minorem: non est de objecto necessario necessitate concomitantis suppositionis, quod videam progredientem, nego minorem.

LXXVIII. Obijcies 2^o, de contingentibus & liberis datur Scientia; sed illa non sunt necessariò, ergo, &c. probatur minor, quia tam possunt esse, quam non esse, ergo, &c.

LXXIX. Respondeo distinguendo minorem: sed illa non sunt necessariò, sive non sunt necessaria necessitate existentia, concedo minorem; verum id non requiritur, ut constet ex hac demonstratione, *Omnis homo est risibilis, sed omne animal rationale est homo, ergo omne animal rationale est risibile*: Necessitate essentia propter necessariam connexionem cum suis proprietatibus, nego minorem, & hoc sufficit.

RESOLUTIO II.

LXXX. Dico 2^o absolutè loquendo, & nisi foret inane de non entibus, vel entibus impossibilibus dari Scientias speciales, objectum Scientiæ specialis, potest esse non ens, vel ens impossibile.

LXXXI. Probatur, quia ejusmodi ens habet suas proprietates cum sua essentia, vel quasi essentia, connexas, ut, quod (etiam virtute Divinâ) realiter existere non possit; quod contradictoria in suo conceptu formali includat, &c. unde demonstrationes huic similes, de illo formari possunt, *Omne quod contradictoria in suo conceptu formali includit, est ens impossibile, non ens, &c. sed chymæra est talis, ergo, &c.*

RESOLUTIO III.

LXXXII. Dico 3^o, objectum Scientiæ potest esse ens per accidens.

LXXXIII. Probatur 1^o, quia omnes Scientiæ subalternæ (de quibus infra) habent pro objecto ens per accidens, ergo, &c.

LXXXIV. Probatur 2^o, quia de ente per accidens demonstrari potest, quod sit ens per accidens, hoc modo, *Quidquid componitur ex substantia & accidente est ens per accidens; atqui statua est talis, ergo, &c.* Unde fit quod Arithmetica multa de numeris, Medicina de Pharmacia, entibus per accidens, demonstret.

RESOLUTIO IV.

LXXXV. Dico 4^o, ens singulare potest esse objectum Scientiæ.

LXXXVI. Probatur, quia singulare habet sua prædicata essentialia, & proprietates singularisatas: unde de ente singulari formari poterit hæc demonstratio, *Quidquid est hic homo, est hoc risibile; Petrus est hic homo; ergo Petrus est hoc risibile*. Item omne singulare est simili incommunicabile; Petrus est hoc singulare; ergo Petrus est simili incommunicabile.

LXXXVII. Confirmatur 1^o, de Deo datur Scientia, videlicet Theologia, & de Christo Christologia; sed hi sunt singulares in omnium sententia, ergo, &c.

LXXXVIII. Obijcies commune Axioma, de singularibus non datur Scientia, ergo, &c.

LXXXIX. Respondeo 1^o, retorquendo argumentum in Theologiam & Christologiam.

LXXXX. Respondeo 2^o, illud Axioma tantum excludere Scientiam totalem & integram; quia in omni Scientia totali attenduntur proprietates speciei; non autem cujuslibet individui in particulari; cum eo tamen stat, quod de singularibus detur Scientia particularis, ut vidimus.

LXXXXI. Confirmatur 2^o, de universalibus omnes admittunt dari Scientiam; sed universalis non distinguuntur à singularibus ex parte objecti, ut toto Tractatu 1^o & 2^o probavimus, ergo, &c.

LXXXXII. Adde 1^o, nos in his tribus ultimis Resolutionibus contrà Aristotelem nihil definire, quia dum ab objecto Scientiæ, *Non entia, entia per accidens & particularia* excludit, ex hypothesi procedit, quod inane sit, & Scientias nimium multiplicare, de non entibus, entibus per accidens & particularibus Scientias statuere; nos verò ab hac hypothesi præscindendo, & absolutè loquendo, ista resolvimus.

Adde 2^o, nos ibi Scientiam, in eo rigore non sumere, in quo eam sumit Aristoteles, & multi post ipsum; prout scilicet est, conclusio Universalis syllogismi demonstrativi dispositi in modo & figura, & procedentis ex Principiis Universalibus indemonstrabilibus; quia rigor ille exorbitans est: sed prout est conclusio ex præmissis necessariis & certis deducta, quæ verè Scientia est.

DVBIUM III.

De Divisionibus Scientiarum.

PARAGRAPHVS I.

Divisiones scientiarum.

RESOLUTIO I.

LXXXIII. **D**ico 1^o, Scientia dividitur 1^o, in Actuale & Habitualemente.

LXXXIV. Actualis est Conclusio Demonstrationis, sive actus intellectus illatus ex præmissis necessariis, &c.

LXXXV. Habitualemente est habitus, seu qualitas à tali actu in intellectu relicta, facilitans nos ad similes actus eliciendos; an autem hæc qualitas sit distincta à speciebus istorum actuum relicta in intellectu? dicitur in libris Animasticis.

LXXXVI. Dividitur 2^o, in Speculativam & Practicam, de quibus Paragrapho 2^o.

LXXXVII. Dividitur 3^o, in Subalternantem & Subalternatam, de quibus Paragrapho 5^o.

PARAGRAPHVS II.

Quanam dicatur Scientia Speculativa, & quæ Practica.

RESOLUTIO I.

LXXXVIII. **D**ico 1^o, Scientia Speculativa (quæ à speculando dicitur, quia nimirum tota est ex natura sua in speculatione seu contemplatione sui objecti, nec transit ad illud quatenus per suam directionem operabile, quasi ipsa posita, jam sit liberum voluntati creatæ imperare ipsius executionem potentia, cui convenit illud exequi) ab Aristotele lib. 1^o. Metaph. cap. 1^o. & 2^o. definitur, *Speculatio, quæ sistit in sola contemplatione sui objecti*: talis autem est Scientia de Deo, Angelis, Cælis, &c. quia nec Deus, nec Angeli, &c. sunt per directionem talis Scientiæ operabiles, quasi, ipsa posita, sit liberum voluntati creatæ imperare ipsorum executionem, &c.

RESOLUTIO II.

LXXXIX. **D**ico 2^o, Scientia Practica (quæ, è contrà ab agendo, seu practican-do, dicitur, quia scilicet, præterquam quod naturam sui objecti contempletur, ulterius transit ad illud, quatenus per suam directionem, regularum traditionem & præceptorum, quomodo fieri possit & debeat, operabile, è quod, ipsa posita, jam sit liberum, &c.) est, quæ non sistit in sola contemplatione sui objecti, sed est proxima regula operis: unde optimè Commentator commento 3^o exponens verba Aristotelis; per speculativam (puta Scientiam) Scimus, ut sciamus; per practicam vero sumus scientes, ut operemur; quia practica finis opus. Talis autem Scientia practica est hæc conclusio, *Omne quod explicat naturam rei debet constare genere & differentiâ; sed omnis definitio est talis; ergo omnis definitio debet constare genere & differentiâ*; liberum enim est voluntati, directione hac, regulâ & præcepto positâ, imperare intellectui, cui convenit definire, executionem definitionis in certa materia: unde cognitio Practicæ rectè dicitur ab Aristotele 3^o de anima cap. 10^o. Text. 5^o. *principium operis*, id est, principium effi-

ciendi suum objectum; & à D. Thoma q. 14. de verit. art. 4^o. *Proxima regula operis*: puta per suam directionem è quod ipsa posita, &c.

PARAGRAPHVS III.

Quidnam sit Praxis.

RESOLUTIO.

C. **D**ico, Praxis (nisi moveatur quæstio de nomine) est quicumque actus, per Scientiam aliquam dirigibilis, sive intellectus sit, sive voluntatis, aut alterius potentia ab his distincta, ita Eximius P. Noster Bacho in 1^{um} Sent. q. 4. Prologi art. 2^o § 1^o, ubi de operatione intellectus, de qua solum est difficultas, ait, *Operatio practica (quæ vocatur praxis) accipitur pro omni operatione intellectus, quæ intellectus considerat scibilia ut operabilia*: Et § 2^o propter alias auctoritates Aristotelis & Commentatoris. 3. de anima, & 6. Metaph. & 6. Et hic, quæ dicunt, quod voluntas est primum principium artificialium & operabilium, & ita videntur dicere, quod prima Praxis est in voluntate. Ideo dico (hic Bachonis præcitati Solutio) quod dupliciter facit voluntas ad Praxim: uno modo antecedenter & dispositivè, & hoc est in generatione ipsius: alio modo consequenter & executivè, puta quando imperat aut eligit prosecutionem ejus, quod dictatum est: tunc dico 1^o, quod verum est, quod istos duos actus attribuit Praxi: 2^o dico, quod neuter pertinet ad quidditatem Praxi.

C I. Probat, quia nullus actus rectè Praxis dicitur, nisi quatenus ex præsupposita regulatione aut directione intellectus, à voluntate, ut secundum illam fiat, præcipi potest; atqui etiam actus intellectus, ut prudentiæ, studii, orationis mentalis, &c. à voluntate ut fiat, præcipi potest: cur enim minus, quam actus voluntatis, potentia loco-motivæ, visivæ, &c. ergo, &c. minor patet: major sumitur ex Aristotele 6^o. Metaph. & alibi, ubi dicit principium praxeos esse electionem: & idem Bacho § 2^o citato Praxis est secundum electionem hominis operatio: & paulo post, *Electio verò*, (ait Commentator) est de duobus propositis iudicium hominis hoc præ altero proponens, ibi est præsupposita regulatio & directio intellectus; sequitur autem post electionem motus & impetus ad actum; hic voluntatis, ut fiat secundum istam intellectus regulationem, imperium. Quod autem PP. Nostri Complut. Logic. Disp. 13. q. 6. dicant, argumentum, quo dicitur Praxim esse opus sive actum cuius principium est electio, esse indignum, cui Philosophus respondeat, non est satis dignum de tanti Doctoris & fratris dicto sentimentum; præsertim cum aliâ ratione non moveantur, quam quod probet nullam dari Scientiam speculativam, quia omnes actus cuiuscumque Scientiæ sunt imperio voluntatis. Non enim dicit omnem actum factum imperio voluntatis esse practicum aut Scientiam practicam, sed electum sive iudicatum ex duobus propositis, id est, regulatis, directis, &c. præ alio, ut consideranti patebit.

C II. Confirmatur 1^o, quia non est, cur non æquæ Scientia modum & regulas præscribat, secundum quas fiat actus intellectus, quam actus artis fabrilis, ergo, &c.

C III. Confirmatur 2^o, reverâ, si hic actus intellectus, Homo est animal rationale, spectetur quatenus ab hoc actu Logicæ docentis, *Omnis definitio constare debet genere & differentiâ*, dirigitur, est Praxis;

xis; ut representat suum objectum præcisè, est speculatio, ut patet, ergò, &c.

CIV. Obijcies tamen, Intellectus extensione fit practicus; sed extensio est ad actus alterius potentia, ergò, &c.

CV. Respondeo negando minorem; quia extensio, etiam fit ad actus proprios non existentes, cum incipiunt existere, ut consideranti patebit: melius tamen dicitur intellectus extensione speculationis ad directionem operis fieri practicus. Ita præcatus Bacho eodem loco: *ex hoc autem, quod intellectus tendit in objectum considerando ipsum ut applicabile ad opus, dictando quid imitandum, & quid fugiendum, tali extensione fit practicus, & ita praxis completur omnino in intellectu.*

CVI. Instabis, actus intellectus sunt speculationes; ergò intellectus, extensione ad proprios actus, non fit practicus: probatur consequentia; quia per solam extensionem ad praxim fit practicus; speculationes verò non sunt praxes, ergò, &c.

CVII. Respondeo distinguendo majorem: actus intellectus sunt speculationes respectu proprii objecti, siue quà actus non tradentes præcepta & regulas, secundum quas fieri debet (quomodò se habent præmissæ ad conclusionem) concedo antecedens: respectu alterius actus directi, siue quà actus tradentes suas præcepta regulas & secundum quas fieri debet, nego antecedens; non enim video cur minùs unus actus intellectus per alium dirigi possit, quàm unus actus voluntatis per actum intellectus.

PARAGRAPHVS IV.

A quo fine Scientia aliqua dicatur Speculativa aut Practica.

CVIII. **A**ntè Resolutionem Nota Scientia alicujus esse duplicem finem; unum intrinsecum, & dicitur finis ipsius Scientia; quia scilicet Scientia per se & ex natura sua tendit in illum; quomodò frenifactoria artis finis intrinsecus est frenum: alterum extrinsecum, & dicitur finis scientis; quia scilicet sciens in illum refert suam Scientiam, ità frena-facientis finis extrinsecus est domare equos, victum lucrari, vel quidpiam simile, pro varia scientis intentione. Hoc præmissò, sit

RESOLUTIO.

CIX. **D**ico, Scientiam dici speculativam, aut practicam, à fine intrinseco; tum quia ille unus, tum quia Scientia in illum ex natura sua tendit; alter verò multiplex & varius; & in illum Scientia non nisi per accidens tendit, ut consideranti patebit, ergò, &c.

PARAGRAPHVS V.

Quæ Scientia sit subalternans, & quæ subalternata:

Quæ subalternatio ad illas sufficiat, & quæ non sufficiat.

RESOLUTIO I.

CX. **D**ico 1º, Scientia subalternans dicitur, à qua dependet altera; subalternata verò,

quæ dependet ab altera: pro cuius intelligentia clariori,

CXI. Nota, tribus modis unam Scientiam posse ab altera dependere, siue alteri subalternari, juxta Aristotelem 1º. Post. cap. 9º.

CXII. 1º. ratione finis, cum scilicet finis unius ordinatur ad finem alterius, siue cum finis unius continetur sub fine alterius: sic ars frenifactoria ordinatur ad equestrem, equestris ad militarem, &c.

CXIII. 2º. Ratione Principiorum, cum scilicet unius Scientia principia, siue præmissæ, demonstrantur in alia Scientia, siue sunt conclusiones alterius; ex quo rectè dicitur conformiter ad Aristotelem 1º. Post. Text. 100. Scientiam subalternatam se habere ad subalternantem; sicut demonstratio quia ad demonstrationem propter quid; nam sicut hujus principia (saltem 1ª, & immediata) in illa non demonstrantur, sed bene illius; ità subalternantis principia, in hac non demonstrantur, bene autem subalternatæ in subalternante.

CXIV. 3º. Ratione objecti, cum scilicet objectum unius contractum per aliquod accidens, continetur sub objecto alterius secundum se sumptum.

RESOLUTIO II.

CXV. **D**ico 2º, pro hac re confusissima, si quis singula minutatim velit discutere, ut notat P. Comptonus Disput. 19. de anima Sect. 2ª. Subalternatio ratione finis aut principiorum, non sufficit ad hoc, ut aliqua Scientia dicatur subalternata; sed requiritur ut sit subalternatio ratione objecti, sic ut objectum unius contractum per aliquod accidens, contineatur sub objecto alterius. Ità PP. Nostri Complutenses post multos alios. Log. Disp. 19. q. 1ª.

CXVI. Probatur, quia Scientia subalternata & subalternans debent plus quàm pars & pars ejusdem Scientia distingui; sed si dicta subordinatio sufficeret, non aliter distinguerentur, ut patet ex partibus Logica, quarum illa, quæ est de demonstratione per definitionem v.g. subalternatur quoad finem & principia, illi, quæ est de definitione, ergò, &c.

CXVII. Confirmatur, Scientia subalternata debet se habere ad subalternantem, sicut numerus sonorus ad numerum, sicut homo albus ad hominem, &c. sed hæc distinguuntur aliter, quàm fine & principiis intrinsecis, puta accidente super-addito, ergò, &c. minor patet, probatur major ex Aristotele 1º. Post. Textu 20. ubi docet, *Subjectum subalternata debere esse alterum à subjecto subalternantis.* Et lib. 2º. cap. 10. de Scientia subalternante, & subalternata loquens ait, *hujusmodi autem sunt, quæcumque sic se habent ad invicem, quod alterum sub altero est;* ly verò alterum importat solam distinctionem accidentalem, ut monuimus in Porphyrio. Ex his

CXVIII. Colliges, subalternationem ratione finis, principiorum & objecti, debere simul concurrere ad hoc, ut una Scientia dicatur subalternata, altera subalternans; cavendum tamen ne objectum subalternatæ dicatur; aut essentialiter diversum ab objecto subalternantis, quomodò se habet Scientia de homine ad Scientiam de animali; aut ità accidentaliter diversum, ut præcisè de accidente, per quod differt, aliquid demonstret; quia alioqui nulla esset subalternatio principiorum, sed principia omnino

omnino diversa (ut consideranti patebit) ac proinde essent Scientiæ omnino independentes & diversæ; sed differentia illa accidentalis non nisi debet se habere ut parziale objectum in demonstrationibus subalternatæ.

PARAGRAPHVS VI.

An Scientia Subalternata sit vera & propriè dicta Scientia.

RESOLUTIO.

CXIX. **D**ico, in rigore, Scientia Subalternata est vera & propriè dicta Scientia.

CXX. Probatur, quia constat ex principiis veris & necessariis ex parte sua: ex eo verò, quod illius principia in ipsa non demonstrentur, & non sit assecutus intellectus de illis; solum sequitur, illum ex parte sua dubitanter procedere, & quasi opinari; non tamen ex parte objecti, à quo & aliis principiorum ejus demonstrationibus totalem accipit assecurationem, quæ sola ad veram & propriè dictam Scientiam in rigore sufficit, ut Scientiæ definitionem consideranti patebit. Unde potest quis habere veram Scientiam subalternatam, licet subalternantem non habeat; sed solum fidem de principiis ejus, ut vel ex ipso D. Thoma 1^o. p. q. 1. art. 2^o. patet, *Sicut musica credit principia sibi tradita ab Arithmetica: ita doctrina sacra credit principia revelata sibi à Deo.* Vide PP. Nostros Complutenses Disp. suprâ citatâ quæst. 3^a.

CXXI. Dices fortè sequi, Scientiam ut sic, tunc quidem fore Scientiam, sed non constituere scientem, defectu certitudinis cognoscentis.

CXXII. Respondeo, disputationem esse de nomine, & dici debere constituere scientem, quæ præcisè Scientiam illam habentem constituit; quæ verò fidem & opinionem de principiis Scientiæ subalternantis, credentem & opinantem duntaxat.

DVBIUM IV.

An Scientia Totalis sit qualitas simplex.

CXXIII. **A**ntè Resolutionem hujus quæstionis, quæ, ut notant Logic. Disput. 19. q. 4. Doctissimi PP. Nostri Complutenses, *Est inter difficiles difficilissima, & in qua nobiliores Metaphysici post assiduam meditationem, longumque laborem, nihil unde quaque satisfaciens inveniisse se putant.*

CXXIV. Suppono 1^o, Scientiam habitualesuprà num. 95. definitam, à Philosophis dividi in Totalem & Partialem: Partialis est habitus alicujus conclusionis demonstrativæ: Totalis est collectio omnium habituum (si dentur) omnium conclusionum demonstrativarum istius Scientiæ.

CXXV. Suppono 2^o, dubium procedere de Scientia Totali habituali, ut v. g. de habitu totali inclinante, & facilitante intellectum ad omnes conclusiones alicujus Scientiæ actuales producendas: non verò de totali actuali, quam certum est apud omnes constare ex omnibus conclusionibus demonstrativis alicujus Scientiæ actualibus, quæ, præterquam quod numquam sint simul in eodem intellectu, sunt tot diversæ qualitates, quot sunt diversæ conclusiones.

CXXVI. Suppono 3^o, dubium hoc procedere ex hypothesi, quod dentur habitus à potentia & ejus transacto exercitio distincti, cujus contrarium

nos in libris de Anima. His notatis, sit

RESOLUTIO.

CXXVII. **D**ico, Scientia Totalis habitualis, &c. non est qualitas simplex; sed aggregatum ex omnibus partialibus habitibus, unum per ordinem ad eundem habitum attributionis: ita Scotista post Subtilissimum Scotum q. 3. Prologi, & in 3^{um} Dist. 25. q. 2. item Nominales, Suarez, Hurtadus, &c. an autem sit unicus omnium scientiarum, an plures totales, patebit ex dubio sequenti.

CXXVIII. Probatur 1^a pars, quia si esset qualitas simplex, vel totus simul produceretur, vel successivè per partes: non 2^{um}, ut patet, quia inde sequitur intentum: neque etiam 1^{um}, quia aliqui per unum actum scientificum produceretur totus, & æquè faciliteret ad conclusiones specie diversas, quæ in eadem scientia reperiuntur, ac ad ejusdem speciei cum actu, à quo productus esset; quod est omnino contrà experientiam; ergo, &c.

CXXIX. Nec responderi potest 1^o, facilitare quidem ad omnes; sed ita remissè, ut vix percipi possit: 2^o, non facilitare ad actus specie diversos ab eo, à quo productus est, nisi ejus potentia ad illos actuetur per actus illis similes, per quos extendatur; eo ferè modo, quo non facilitat ad actus similes illi, à quo productus est, nisi ejus potentia ad illos actuetur per actus novos illi similes, per quos intendatur; licet fuerit ibi totus, & solum non totaliter actus, sive quoad extensionem, sive quoad intensionem.

CXXX. Contrà enim est 1^o, quod habitus communiter definiatur facilitas (sive remissa, sive intensa) ad actus similes iis, à quibus productus est; esset autem æquè ad dissimiles, ac ad similes: 2^o, dicta actuatio omnino otiosa est, & superflua, si alios actus non comproducat cum prioribus, nec entitatem prioris habitus per additionem novæ entitatis confortet, & aliis actibus producendis proportionet, ut consideranti patebit: si verò id præstet, dicitur esse novus habitus superadditus: 3^o, sequitur eundem habitum v. g. Logicæ æquè intensum ex hypothesi circa discursum, quam circa definitionem eliciendam, simul intendi & remitti; sed hoc est absurdum, ergo, &c. minor probatur, quia Logicus continuò illum actuet per actus definitionum, intendetur (ut facientur Adversarii;) totaliter cesset ab actibus discursuum & actuazione per illos, remitteretur, ut patet, ergo, &c.

CXXXI. Objicies tamen ex P. Ioanne à S. Thoma Logic. q. 27. potentia intellectiva, visiva, &c. est una simplex qualitas, licet se extendat ad actus specie diversos eliciendos; idem dic de habitu fidei, charitatis &c. ergo idem dici poterit de Scientia totali habituali.

CXXXII. Respondeo esse latam disparitatem; 1^o, quod illæ potentie dent simpliciter posse; illi verò habitus acquisiti; non nisi facile posse. 2^o, quod illæ potentie & habitus infusi fidei, charitatis, &c. non sint semina suorum actuum, seu quod à suis actibus non producantur, sicut habitus Scientiæ; sed potentie ab anima, & dicti habitus à Deo per infusionem producantur: si verò ad actus specie diversos se extendere possint, id refundendum in particularem naturam principiorum communium

& dantium facile posse, per experientiam vel aliunde nobis sufficienter notorum, à quibus sunt.

CXXXI. Instabis cum eodem, quod potentia, &c. non producat à suis actibus, bene autem habitus Scientiæ, non est sufficiens disparitas, quia hoc non spectat ad rationem intrinsecam potentiæ vel habitus, à qua habetur, quod ad actus specie diversos extendi possit; sed ad modum, quo producit, quod impertinens est, ut id possit, vel non possit, ergo, &c.

CXXXIV. Respondeo negando antecedens, ad ejus probationem, Respondeo hoc quidem non spectare ad rationem intrinsecam potentiæ vel habitus; sed inde tamen recte inferitur, qualis sit intrinseca ratio potentiæ vel habitus; cum enim aliunde sciatur semen non nisi per se plantas similes iis, à quibus decusum est, producere; recte infertur habitus ab actibus productos, sive semina æquum, non nisi per se actus similes iis, à quibus producti sunt, producere: unde loquere proportionaliter de habitu temperantiæ, & de aliis habitibus intellectus ab actibus productis & acquisitis.

D V B I V M V.

An recte assignentur plures Scientiæ, unæ, totales, habituales; & unde sumenda earum unitas.

CXXXV. Sensus dubii est, unde habeatur, quod Scientia totalis, v. g. Logica, sit una Scientia totalis distincta ab aliis: Pro quo, sit

R E S O L U T I O I.

CXXXVI. Dico 1^o, spectatà autoritate Aristotelis, D. Thomæ, Scoti, Magistri nostri de Bachone & aliorum communiter, recte assignantur plures Scientiæ, unæ totales habituales.

CXXXVII. Probatur, quia omnes illi Authores distinguunt adæquatè Logicam à Physica; Medicinam, Arithmetica & Theologiam inter se, ergo, &c.

CXXXVIII. Confirmatur, quia alioqui, vel tot admittendæ essent Scientiæ, unæ, totales, habituales, quot conclusiones particulares actuales diversæ speciei, à quibus producerentur; vel unica ab unico objecto formali *sub quo* intelligibilis, ut infra patebit; 1^{um} tollit omnes Scientias dictas; 2^{um} verò confundit omnes scientias illas in unam intellectualem; quæ minus apta sunt; ergo, &c.

R E S O L U T I O II.

CXXXIX. Dico 2^o, in rigore rationis, numerus scientiarum, unarum, totalium, habitualium, communiter recensitarum, non est admittendus.

CXL. Probatur 1^o, quia non est unde sumatur earum unitas, ergo, &c. probatur assumptum, quia pro principio unitatis Scientiæ totalis habitualis assignabitur; vel ipsa ratio intelligibilis aut scibilis in genere; vel aliquid rationi intelligibili aut scibi-

li in genere subordinatum; sed neutrum in rigore rationis assignari potest; ergo, &c. probatur minor pro 1^a parte; quia alioqui, sicut illa ratio est unica & ultima, ita daretur unica Scientia totalis habitualis ab objecto suo dicta intellectualis. Probatur etiam pro 2^a parte, quia cum infinita assignari possint objecta rationi intelligibili in genere subordinata, non est in quo ex natura rei sisteretur; ergo, &c.

CXLI. Confirmatur, eodem modo se habent omnes Scientiæ communiter dictæ, unæ, totales, habituales, ad Scientiam intellectualem totalem habituales, sicut se habent Regna ad Mundum aggregabilem totalem; sed in rigore rationis non admittitur numerus Mundorum totalium ex Regnis; ergo nec admitti debet in rigore numerus Scientiarum, unarum, totalium, habitualium, ex communiter recensitis scientiis.

CXLII. Objicies tamen 1^o, cum Thomistis, unitas scientiarum totalium habitualium sumitur ab objecto earum adæquato, secundum abstractionem ab objectis aliarum scientiarum; ergo est assignabile principium, unde sumatur earum unitas.

CXLIII. Respondeo negando antecedens, quia in eo supponitur falsum, videlicet dari objectum adæquatum scientiarum totalium habitualium, secundum abstractionem ab objectis aliarum scientiarum; quod tamen non est assignabile præter quodlibet objectum cujuslibet Scientiæ particularis; unde abrogantur omnes Scientiæ totales habituales; vel præter aliquod intelligibile rationi communi intelligibilis subordinatum, quod esse non potest objectum Scientiæ unius totalis habitualis adæquatum, per abstractionem ab objecto Scientiæ totalis intellectualis habitualis, quia quodcumque in eo inadæquatè includitur, vel potius, quia illud est genus ad aliud quodcumque, ut consideranti patebit: Deinde abstrahas quantumvis objectum unius Scientiæ ab objectis aliarum scientiarum totalium, semper potero illud includere in objecto alterius Scientiæ totalis habitualis; quæ enim repugnantia ex natura ipsorum objectorum? quid enim impedit, quò minus objectum adæquatum Logicæ, quod communiter dicitur esse tres mentis operationes ut dirigibiles, includam in objecto Scientiæ Animasticæ, dicendo hanc Scientiam habere pro objecto tres mentis operationes ut dirigibiles, & ab anima vitaliter producibiles; & sic Scientia Logica includi poterit in Scientia Animastica.

CXLIV. Objicies 2^o, cum communi, unitas scientiarum totalium habitualium sumitur ab objecto formali ipsarum; sed plurimæ sunt, quæ habent objecta formalia diversa; ergo, &c.

CXLV. Respondeo negando antecedens: vel enim sermo est de objecto formali *quod*, vel *propter quod*, vel *sub quo*? non 1^{um}, quia, cum illud sit prædicatum conclusionis scientificæ, tot essent Scientiæ totales, quot diversæ conclusiones scientificæ, quod nullus admiserit: neque etiam 2^{um}, quia, cum illud sit ipsæ præmissæ formales, tot essent Scientiæ totales, quot demonstrationes, quod etiam nullus admiserit: neque 3^{um}, quia, vel ipsum objectum formale *sub quo* est ipsa intelligibilitas seu scibilitas generica objecti materialis? & hoc non; quia sicut illa est unica & ultima, ita diceretur unica

R 4 Scientia

Scientia totalis habitualis, ut sæpè repetitum est; vel aliqua ratio intelligibilis seu scibilis illi subordinata, & sic non faceret Scientiam totalem habitualement, sed dictæ totali intellectuall subordnatam, ab eaque inadæquatè dumtaxat distinctam, ut consideranti patebit.

CXLVI. Objicies 3^o, unitas scientiarum habitualium totalium sumitur ab objecto attributionis, ergo, &c.

CXLVII. Respondeo negando antecedens; semper enim est eadem solutio, quia supponitur falsum; videlicet cuilibet Scientiæ assignari posse objectum attributionis adæquatè distinctum ab objecto cujuscumque alterius Scientiæ totalis habitualis; cum tamen omne, quod assignatur, utpotè subordinatum intelligibili, sit respectu illius objectum attributum; ac proinde non sit ratio, cur in ipso potius sistatur, quam in quolibet eorum, quæ sunt attributa respectu ipsius, ergo, &c.

CXLVIII. Objicies 4^o, Logica à Physica, Physica à Medicina, & Medicina ab Arithmetica totaliter & adæquatè distinguitur; ergo dantur Scientiæ totales: probatur consequentia, quia illæ sunt Scientiæ.

CXLIX. Respondeo negando consequentiam, ad ejus probationem distingo assumptum, sunt Scientiæ partiales, concedo assumptum; totales, nego assumptum: eodem enim modo se habent ad invicem & Scientiam totalem intellectualem, sicut in omnium sententia se habent conclusiones partiales inter se & Scientiam totalem. Undè quando Sanctus Thomas 1^a. p. q. 1^a. art. 1^o. ad 2^{um}. ait, *Diversa ratio cognoscibilis diversitatem scientiarum inducit*, loquitur de scientiis partialibus, Astrologia, Physica, &c. quæ, juxta hanc à rigore rationis Resolutionem, sunt partiales. Ex his

CL. Colliges in rigore dicendum, vel cum Nominalibus teste Soto in Proëmialibus Logicæ q. 3. & Masio ibidem Sect. 1. q. 15. tot esse Scientias totales habituales, quot simplices habitus conclusionum actualium specie diversarum; vel cum Egiddio 1. Metaph. q. 22. & Mirandulano lib. 13^o. de eversione singularis certaminis Sect. 6. & 7. quos refert Suarez Disput. 1^a. Metaph. Sect. 2^a. unicam illam esse agnoscendam, quam sæpè vocavimus *Scientiam totalem habitualement intellectualem* ab objecto suo formali *sub quo*, intelligibilitate scilicet, quæ objecta omnium aliarum Scientiarum sub se comprehendit, instar generis species. Cum verò PP. Arriaga, Oviedo, &c. docent unitatem Scientiæ totalis habitualis sumi ex natura rei, juxta quam habitus unius Scientiæ potius exigunt sibi invicem conjungi, quam cum aliis, rem nostram agunt; quia illi habitus ut particulares non exigunt sibi conjungi magis quam aliarum Scientiarum habitus illis: quis enim dicet hos Logicæ habitus ex natura sua exigere sibi invicem conjungi, *Divisum latius patet suo membro dividente, definitio debet esse clarior definitio*? nullus: undè exigunt tantum sibi conjungi, quia habent idem objectum formale *sub quo*; cui convenit, sicut & omnibus objectis omnium scientiarum totalium, esse objectum *sub quo* attributum respectu intelligibilitatis objecti attributionis dictæ Scientiæ totalis intellectuall; undè ulterius dici debent Scientiæ partiales & subordinatæ isti prædictæ totali.

DUBIUM VI.

Vnde sumenda unitas & diversitas Scientiæ actualis partialis.

Ante Resolutionem
CLI. Suppono dubium procedere de unitate & diversitate specifica; de numerica enim in Metaph. hoc supposito, sit

RESOLUTIO.

CLII. Dico, stando in communi Philosophorum sensu (quid enim stando in ratione dicendum, statuetur in Physica) Scientia actualis specificatur ab objecto suo materiali, formali *quod*, & *propter quod*, id est, à subjecto, prædicato conclusionis & præmissis, sive medio, ita ut, uno ex illis specie mutato, sit diversæ speciei; iisdem verò consistentibus, ejusdem speciei.

CLIII. Probatur, quia conclusio scientifica actualis, sive Scientia actualis est essentialis expressio sive representatio sui objecti; sed illa omnia exprimit & representat in actu signato; ergo uno ex illis specie mutato est diversæ speciei, & iisdem consistentibus, ejusdem. Hinc

CLIV. Colliges hoc Axioma, *Scientia actualis specificatur ab objecto formali*, non esse intelligendum cum particula exclusivâ *tantum*; quasi ab illo tantum specificaretur; sed anthonomastice, eò quod ab eo excellentius, quam à cæteris specificetur.

CLV. Objicies tamen, si Scientia actualis specificetur ab illis omnibus, poterit simul esse naturalis & supernaturalis in substantia; sed hoc est absurdum; ergo, &c. probatur sequela majoris; quia si inferatur conclusio scientifica ex una præmissa naturali, & altera supernaturali in substantia; illa erit naturalis, in quantum in actu signato attingit objectum naturale in substantia; & erit supernaturalis, in quantum attingit in actu signato objectum supernaturale in substantia; ergo, &c.

CLVI. Respondeo 1^o, hoc argumentum magis esse Theologicum, quam Philosophicum; non enim uno verbo ostenditur dari aliquid absolute supernaturale in substantia sic ut nulli creaturarum, saltem possibile sit naturale, & oppositum, ut certius defendemus in Theologia: neque si detur, facile dicitur à quo sumenda sit ejus supernaturalitas, an à subjecto in quo recipitur, si forma? an à principio supernaturali adæquato, vel inadæquato à quo ipsa producitur? an ab objecto materiali, formali *quod* vel *propter quod*, si actus?

CLVII. Respondeo 2^o, in forma, negando majorem, ad ejus probationem Respondeo illam conclusionem fore supernaturalem in substantia, quæ produceretur à principio (saltem inadæquato) supernaturali in substantia; naturalem verò, si ab adæquato naturali: cum enim actus supernaturalis in substantia attingere possit objectum naturale materiale, formale *quod* & *propter quod*; & naturalis in substantia objectum supernaturale materiale, formale *quod* & *propter quod*, ut constat à pari, ex eo, quod actus spiritalis possit

sit attingere objectum materiale spirituale in substantia, inter quæ non est major proportio; supernaturalitas necessariò petenda est à principio (saltem inadæquato supernaturali) naturalitas à principio adæquato naturali; quia non est undè aliundè petatur, maximè, cum subiectum istorum entium supernaturalium, v. g. intellectus, voluntas, anima, &c. sit indifferens, ut entia naturalia, vel supernaturalia in substantia producat vel recipiat; ut patet in actibus fidei, Spei & Charitatis, qui ab omnibus habentur supernaturaliter in substantia, & tamen à principio supernaturali, inadæquato dumtaxat, producuntur, & inadæquato naturali, videlicet intellectu, volun-

tate, anima, &c.

CLVIII. Instabis, *Actus specificantur ab objecto*, etiam ergo, &c.

CLIX. Respondeo distinguendo istud Axioma; *Actus specificantur ab objecto* secundum aliquam rationem specificam, videlicet in ratione actus ut actus diversæ speciei, transeat, de illo enim specialiter in Physica: secundum omnem rationem specificam, videlicet in ratione actus ut speciei entis supernaturalis, vel naturalis, nego: non enim est major ratio, cur actus hanc speciem ab objecto sumant, quam speciem substantiæ & accidentis, spiritualis & materialis, &c. quam ab illo non sumunt, ut consideranti patebit.

DISPUTATIO TERTIA

De Opinione, errore, & fide.

DVBIVM I.

Quid opinio, & qua formido sit ei essentialis,

RESOLUTIO I.

CLX. **D**ico 1^o, *Opinio est iudicium incertum & inevidens, cum formidine actuali vel virtuali de opposito.*

QVÆSTIVNCVLA I.

An incertitudo, quæ est de essentia opinionis sit quidpiam negativum.

CLXI. **R**espondeo negativè, quia nihil aliud est, quam debilitas & infirmitas ipsius iudicii opinativi, admittentis dubium aliquod, ne fortè contrarium sit verum: certum autem est, quodd tale iudicium, à quo debilitas & infirmitas illa non distinguitur, sit positivum; commodè tamen explicatur illa incertitudo per negationem certitudinis ad Scientiam requisitæ, quasi diceretur, non est tanta certitudo, ac ad Scientiam requiritur.

QVÆSTIVNCVLA II.

Quid formido actualis & virtualis, in quas formido secatur.

CLXII. **A**ntè Responsum. Suppono formidinem hinc sumi pro actu intellectus, non autem pro actu voluntatis, ut propriè sumi solet. Hoc notato

CLXIII. Respondeo formidinem actualem (quæ etiam dicitur formalis & formido in actu 2^o) esse iudicium reflexum, sive quo intellectus reflectens supra iudicium suum incertum & inevidens, iudicat expressè oppositum fortè esse verum, ut v. g. si, cum iudicavi omnem matrem diligere filium, reflectens supra hoc iudicium expressè iudicem, aliquam fortè esse, quæ filium non diligit.

CLXIV. Virtualis autem (quæ radicalis & in actu 1^o, etiam dicitur) non est aliud, quam ipsemet actus opinativus, tam debilis & infirmus, ut si intellectus supra illum reflecteret, iudicaret expressè oppositum fortè esse verum; hæc autem formido

virtualis confunditur cum incertitudine positiva, de qua ante num. 158.

QVÆSTIVNCVLA III.

Vnde oriatur incertitudo & formido.

CLXV. **R**esp. objectivā oriri ex mutabilitate, seu fallibilitate objecti; cum scilicet objectum est contingens & non necessariam terminorū connexionem importans, sed talem, ut possit esse & non esse; formalem verò esse illam, quæ se tenet ex parte intellectus præcisè, ex eo videlicet, quodd intellectus assentiat conclusioni objectivæ, vel necessariæ, per medium quidem necessarium, sed putans tantum esse probabile; vel probabili propter medium probabile cognitum tale; nam, ut supra insinuatum est, medium conclusionis scientificæ debet cognosci ut necessarium, ad hoc ut conclusio sit certa ex parte intellectus, sive formaliter.

RESOLUTIO II.

CLXVI. **D**ico 2^o, *sola formido virtualis est essentialis Opinioni, non actualis.*

CLXVII. Probatur 1^o, pro 2^a parte (nam 1^a pars patet) quia datur opinio sine formidine actuali, ut cum assentior conclusioni probabili nihil expressè cogitando de opposito, an fortè non sit verum; ergo, &c. antecedens experientiā notum est, & conforme Aristoteli Topic. 3^o. cap. 3. ubi asserit, *Nonnullos per Opinionem dubitare*, ac proinde è contrā, nonnullos non dubitare, scilicet actualiter.

CLXVIII. Probatur 2^o, actus, qui differunt objectis, distinguuntur realiter; sed aliud est objectum Opinioni, aliud formidinis actualis; ergo, &c. probatur minor, nam objectum Opinioni est, v. g. *Omnis mater diligit filium*, objectum verò formidinis actualis est, *Fortè verum est esse aliquam matrem, quæ non diligit filium*, vel *fortè falsum est, omnem matrem diligere filium*; sed hæc objecta sunt diversa; ergo, &c.

CLXIX. Probatur 3^o, actus directus & reflexus de eodem objecto realiter distinguuntur; sed opinio & formido actualis se habent instar actus directi & reflexi; ergo, &c.

DVBIVM II.

Quid sit fides, & error.

RESOLUTIO I.

CLXX. **D**ico 1^o, fides actualis est assensus propter auctoritatem revelantis: est autem duplex, Divina sive supernaturalis, & humana sive naturalis: Divina est assensus propter auctoritatem Dei revelantis; humana propter hominis: hinc ad fidem duo requiruntur, 1^o, ut quis dicat: 2^o, ut qui dicit sit, vel habeatur verax, quia nulla est mendacis (ut Dæmonis v. g. qui pater mendacii dicitur) auctoritas; undè fides tantò est certior, quantò major veracitas dicentis: cum autem veracitas Dei sit major omni certitudine naturali, fides Divina est certior (licet minus evidens) omni Scientià naturali; & cum veritas hominis sit fallibilis, tantò fides humana est incertior, quantò veracitas hominis narrantis est minor.

CLXXI. Adde 1^o, omnem fidem esse obscuram, quia nititur medio sive ratione formali extrinsecà objecto, cui per fidem assentior, scilicet auctoritate Dei revelantis, vel hominis narrantis; quandoque tamen dicitur clara in attestante, cum scilicet revelantem aut narrantem videmus, vel audimus; sed hoc solum est objectum obscurè cognoscere in alio clarè & evidenter cognito ut patet.

CLXXII. Adde 2^o, fidem humanam ab opinione solum distingui, ut minus & magis commune, ut speciem & genus; nam omnis actus fidei humanæ est opinio, non è converso: utriusque enim medium est tantum probabile & contingens.

RESOLUTIO II.

CLXXIII. **D**ico 2^o, error actualis est actus elicitus ex motivo erroneo; sive falso, licet apparenter vero.

DVBIVM III.

An actualis scientia, fides humana, opinio & error de eodem objecto possint esse simul in eodem intellectu, cum formidine actuali de opposito, & in eundem actum coalescere.

RESOLUTIO I.

CLXXIV. **D**ico 1^o, actualis Scientia, fides humana, opinio & error de eodem objecto totali, non possunt esse simul in intellectu; juxta hanc Resolutionem intelligi debet Aristoteles hic lib. 1^o cap. 26. dum ait, *Ex his autem emergit fieri non posse, ut simul idem opinetur quisquam, ac sciat, &c. nec plus videtur intendere D. Thomas in 1^{um} Post. lect. 44. ubi ait: Manifestum est, quod non contingit omnino (nota) simul idem sciri & opinari, &c. ne autem putes hanc vanam esse nostram observantiam, audi quod habet 2. 2. q. 1. art. 5^o ad 4^{um}, Dicendum, quod sicut Philosophus ibidem dicit (puta lib. 1^o Post. cap. 26.) à diversis hominibus de eodem omnino potest haberi Scientia & opinio: juxta hunc sensum, ipsum aliis in locis intelliges.*

CLXXV. Probatur, quia nullo casu habent idem objectum totale, ergò, &c. probatur antecedens, actualis Scientia, fides humana, &c. non solum attingunt objectum conclusionis, quod potest esse

idem; sed medium & objecta præmissarum, quæ non possunt esse idem, ut consideranti patebit, ergò, &c.

RESOLUTIO II.

CLXXVI. **D**ico 2^o, actualis Scientia, fides humana, opinio & error de eodem objecto totali conclusionis simul esse possunt naturaliter in intellectu, etiam cū formidine actuali de opposito: quoad Scientiam, fidem & opinionem Plurimorum est apud P. Comptonum Log. Disp. 50. ut Bonaventuræ, Halensis: Henric. Magistri Nostri Bachonis, Ochami, Gabriëlis & aliorum Nominalium; Suarez, Hurtadi, Arriagæ, imò etiam D. Thomæ 1. 2. q. 67. art. 3^o in Corp. & 3. p. q. 7. art. 3^o ad 2^{um}, &c. quoad reliqua pauciorum: quia tamen videtur per necessariam consequentiam inde deduci, ut profundè notant PP. nostri Complutenses Logic. Disp. 20. q. 4. Paragraph. 1^o de his simul idem hic resolvimus, cum Serna Logic. Disp. 4. Sect. 3. q. 3. Valentia 2. 2. Disp. 1. q. 1. p. 4. & aliis apud P. Telles Log. Disp. 19.

CLXXVII. Prob. 1^o illi actus inter se naturaliter non repugnant, ergò, &c. Prob. antecedens; quia si repugnarent, maximè repugnarent ex parte suæ, vel ex parte potentia; sed neutra ex parte repugnant; ergò, &c.

CLXXVIII. Probatur minor pro 1^a parte; quia omnes illi sunt positivi; nec modo contradictorio in idem objectum totale conclusionis tendunt, videlicet ut affirmatio & negatio illius; sed ferè eodem modo se habent ad invicem, sicut majus & minus lumen inter se respectu aëris, ratione quorum aër dicitur clarus & obscurus (idem dic de albedine & dulcedine respectu pomi, quod ratione albedinis dicitur visibile, ratione dulcedinis invisibile, videlicet positivè) sed majus & minus lumen non repugnant in eodem indivisibili aëre, ergò, &c.

CLXXIX. Probatur minor pro 2^a parte, quia dicti actus ex parte potentia, videlicet intellectus, non magis repugnant, quàm cognitio perfecta ut iudicium, & imperfecta ut apprehensio; vel quàm ex parte animæ potentia perfectior ut intellectiva, & imperfectior ut sensitiva; vel denique potius, quàm identitas potentia scitivæ, opinativæ, creditivæ, errativæ, formidativæ, &c. cū intellectu; sed hæc non repugnant ex parte intellectus, ergò, &c.

CLXXX. Confirmatur, hi omnes actus possunt in unum coalescere, non obstante formidine actuali de opposito, uti Resolutione 3^a patebit, ergò, &c.

CLXXXI. Obijcies 1^o, licet isti actus ex parte suæ, aut potentia, non repugnarent; repugnant tamen ex parte objecti; ergò Resolutio nulla.

CLXXXII. Probatur antecedens 1^o, quia objectum Scientiæ est certum & verum; opinionis verò & fidei incertum, erroris falsum; sed certum & incertum, verum & falsum, non minus repugnant, quàm lux & tenebræ, ergò, &c.

CLXXXIII. Probatur antecedens 2^o, objectum Scientiæ est, Homo est animal, v. g. quia est sensitivus; opinionis & fidei, quia Philosophus quidam dixit; erroris, quia constat animà corporeā sensitivā; formidinis actualis, Fortè non est animal, quia dictum Philosophi est fallibile, & motivum hoc, quia constat animà corporeā sensitivā falsum; sed homo est animal, fortè homo non est animal, opponuntur contradictoriè, ergò, &c.

CLXXXIV. Resp. negando antecedens, ad ejus proba-

probationem 1^{am}. Resp. distinguendo maiorem pro 2^a parte. Objectum opinionis & fidei est incertum positivè, eo modo, quo dulcedo est invisibilis, concedo maiorem; incertum negativè, ita ut sit negatio certitudinis, nego maiorem: hoc autem modo incertum duntaxat, contradictoriè repugnat cum certo: Item distinguo pro 3^a parte, objectum erroris est falsum, falsitate objecti sui materialis, nego maiorem, quia illud reverà est, sicut dicitur esse; falsitate motivi in se, concedo maiorem; verum illud non opponitur objectivè contradictoriè motivis Scientiæ, opinionis & fidei, quia hæc non important, *Homo est animal quia non constat animâ corporeâ sensitivâ*, ut patet, quod importare debent: unde ulterius Minor hoc modo distinguui potest: certum & incertum negativè repugnant, concedo minorem; certum & incertum positivè, nego minorem; hæc enim non magis repugnant, quam rationale & irrationale positivè sumptum pro bruto, apprehensivum & iudicativum, majus lumen & minus lumen, &c. Item verum & falsum repugnant respectu ejusdem, concedo minorem; verum veritate objecti materialis, & falsum falsitate objecti formalis propter quod, sive motivi, nego minorem; hæc enim non magis repugnant, quam intellectum assentiri objecto sicuti est, propter errorem putatum veritatem. Unde patet illa non repugnare, sicut lux & tenebræ repugnant; sed convenire, ut majus & minus lumen diversæ rationis, iudicium & apprehensio, &c.

CLXXXV. Nec dicas cum PP. Nostis Complutensibus Logic. Disp. 20. q. 4. Paragraph. 1^o. *Assensus opinativus ex intrinseca imperfectione sua intimè habet annexam inevidentiam & obscuritatem, sicut Scientia claritatem.*

CLXXXVI. Respondeo 1^o, id retorquendo in dulcedinem pomi, quæ, eo modo, quo opinio inevidentiam, invisibilitatem annexam habet; & tamen simul stat cum colore pomi naturaliter.

CLXXXVII. Respondeo 2^o. inevidentiam negativam non aliter esse intrinsecam opinioni, quam irrationalitas negativa bruto, aut quam inillativitas iudicio præmissarum; hæc autem non sic est illis intrinseca, ut simul naturaliter non consistent, ut omnes fatentur.

CLXXXVIII. Resp. 3^o, inevidentiam illam debere esse negationem, vel evidentiam actus scientifici actui opinionis extrinsecæ, vel evidentiam actus opinionis ipsi actui opinionis intrinsecæ? si opinionis, patet quod simul naturaliter stare possit cum evidentia actus scientifici, quia in hoc actu est talis evidentiam negatio; si actus scientifici, vel non repugnat cum actu scientifico, quandoquidem sit in alio actu sive subiecto, vel, si repugnet, etiam in diversis hominibus repugnabunt Scientia & opinio, quod est certò falsum.

CLXXXIX. Ad probationem verò 2^{am}, antecedentis objectionis 1^æ, Respondeo negando minorem; quia quæ opponuntur contradictoriè non possunt esse simul vera; *Est autem, & forte non est*, possunt esse simul vera; quia quælibet opinio ita est vera, ut forte sit falsa; imò opinionem forte esse falsam, necessariò verum est; ac proinde, qui dicit de objecto opinionis *est, & forte non est*, necessariò verum dicit.

CLXXXX. Instabis, à parte rei *Roma stat & forte Roma non stat*, sunt contradictoriè opposita; ergò si-

militer *homo est animal, & forte homo non est animal*. Probatur antecedens, quia à parte rei quodlibet est, vel non est, ergò, &c.

CLXXXI. Respondeo negando antecedens; ad probationem ejus distinguo antecedens; à parte rei quodlibet est vel non est, prout ab homine dicitur esse vel non esse, nego antecedens: quia alioqui dicto hominis vero, *quod Roma stat, vel quod Roma non stat*, non posset falsum subesse, illud non esset forte falsum, &c. absolute loquendo, concedo antecedens; sed advertendum, nec opinionem, nec formidinem actualem natam illam sequi, tendere in objectum suum absolute, quatenus in se & à parte rei tale, sed quatenus tale est, ut subest tali vel tali motivo probabili, quod, sicut ita est verum, ut forte non sit verum; sic etiam objectum opinionis & formidinis dictæ, ita est, ut forte non sit, prout ex illo motivo inferitur esse; unde opinio, & formido actualis nata ex illa sequi, non magis contradictoriè opponuntur, etiam objectivè, quam hi duo actus, *Roma stat, quia id Petrus dicit; forte Roma non stat, quia dicto Petri falsum subesse potest, sive quia dictum Petri forte non est verum*; qui duo actus æquivalent huic, *Probabile est Romam stare*; qui actus est formaliter simplex & possibilis naturaliter.

CLXXXII. Urgebis, assensus & dissensus de eodem objecto non possunt esse simul in intellectu; sed opinio est assensus, & formido actualis dissensus, ergò, &c. Probatur minor, quia opinio dicit *Roma stat, quia id Petrus dicit*: formido verò actualis dicit *forte Roma non stat, quia dicto Petri falsum subesse potest*; ergò, &c.

CLXXXIII. Respondeo distinguendo antecedens, assensus & dissensus non illati sive præmissarum de eodem objecto, non possunt esse simul in intellectu, concedo antecedens; illati seu consequentis formaliter sumpti ex diversis mediis, nego antecedens; quia non magis repugnant, quam illa media: cur enim non possem assentiri huic Propositioni, *Roma stat, quia id Petrus dicit, quem novi esse veracem*, & dissentiri eidem, *quia Paulus dicit, Roma stat, quem continuâ experientiâ probomendacem*? non illati igitur de eodem objecto simul esse non possunt in eodem intellectu, quia assensus absolute dicitur est, dissensus absolute non est; est verò absolute, & non est absolute, repugnant contradictoriè; illati autem possunt, quia non dicunt absolute est, & absolute non est; sed prout v. g. à tali, vel tali homine, esse, vel non esse dicitur; ac proinde non repugnant contradictoriè, magis, quam dicta talis & talis hominis, quorum utrumque est affirmativum, *Roma stat*. Hinc

CLXXXIV. Sequitur aperte, cum Scientia, fide humana, opinione & errore, non solum stare naturaliter formidinem actualem, sed etiam formalem dissensum cum assensu de eodem objecto propter diversa media: unde etiam omnino dicendum, affirmationem & negationem de eodem absolute non illato, sive etiam de eodem per idem medium illato, esse quidem contradictoria objectivè; non autem de illato ex diversis mediis.

CLXXXV. Objicies 2^o, illi actus sunt impossibiles in eodem subiecto, ex quibus nati sunt sequi effectus oppositi; atqui ex Scientia, nata est sequi securitas, quæ opponitur formidini actuali; ergò, &c.

Respon-

CLXXXVI. Respondeo 1^o. retorquendo argumentum in voluntatem, v.g. voluntas enim secundum te, non est sibi ipsi opposita; ex ea tamen natum est sequi odium & amor; item, nec intellectus est sibi ipsi oppositus; ex eo tamen nati sunt sequi effectus oppositi, scilicet assensus & dissensus non illati, affirmatio & negatio, &c. deinde ex luce natus est sequi calor, ex vi in frigidante frigus; nec tamen illa duo impossibilia sunt in eodem astro, ut ostenditur in libris de coelo.

CLXXXVII. Respondeo 2^o. negando minorem pro 2^a parte; nam securitas non opponitur formidini actuali, magis, quam Scientia opinioni, quae sunt securitas virtualis, & formido virtualis: si enim forma ignis & aquae sese in eodem subiecto compaterentur, non esset cur calor & frigus sese in eodem non compaterentur.

CLXXXVIII. Obijcies 3^o, omnes experimur nos non posse expressè dubitare aut formidare de objecto evidenter cognito, & multò minus circa illud errare; ergò non possunt simul stare in intellectu scientia, fides, opinio & error. Probatur antecedens, quia nullus dubitat expressè aut formidat, &c. de existentia diei, quam videt esse; ergò, &c.

CLXXXIX. Respondeo, distinguendo antecedens, experimur nos non posse expressè dubitare aut formidare de objecto evidenter cognito, quatenus infertur ex praemissis evidentibus, concedo antecedens; quatenus infertur ex praemissis dubiis, formidolosis & inevidentibus, nego antecedens; quia enim in conclusionem non tendimus ut in se, sed ut subest tali motivo & praemissis; ideo non minus possumus de illa expressè dubitare aut formidare, quam de motivo & praemissis.

CC. Obijcies 4^o. Fides est argumentum rerum non apparentium ad Hebraeos 11^o. ergò non stat simul cum Scientia de eodem objecto: probatur consequentia, quia aliqui è contrà esset rerum apparentium evidenter.

CCI. Respondeo, admittendo verba Scripturae, & dico eorum hunc esse sensum, Fides est argumentum rerum non apparentium ex motivo fidei; non verò rerum non apparentium ex motivo Scientiae; sic enim Diva Virgo fide Divinà credebatur se esse virginem ex motivo Dei revelantis obscuro, & non apparente; & id ipsum sciebat ex motivo Scientiae, experientia scilicet sui ipsius.

CCII. Obijcies tamen 5^o, Aristoteles hic lib. 1^o. cap. 26. ait: *Opinio namque & Scientia non omnino ejusdem est.* Et infra, *Ex his autem emergit fieri non posse, ut simul idem opinetur quisquam ac sciat: nam simul existimationem habet, & aliter, & non aliter, idem sese habere; quod quidem fieri nequit.* Hancque doctrinam perpetuò sequitur D. Thomas Moral. q. 22. art. 5^o. ad 4^{um}, ergò, &c.

CCIII. Respondeo, Aristotelem & D. Thomam intelligi debere de eodem objecto totali, sic ut comprehendat objectum conclusionis & praemissarum, ut supra Resolutione 1^a diximus; quia per actum conclusionis semper attingi praemissas objectivas, supra fusè probatum est; si verò non attingerentur, sed solum objectum conclusionis ut in se est (quod hic malè supponunt profundissimi aliqui PP. nostri Complutenses) facile me in oppositam sententiam inclinarem; modo conciliarent haec, actum consequentis formaliter sumpti, scientificum, opinativum, &c. non attingere objecta pra-

missarum, & tamen distingui ab actu consequentis materialiter sumpti scientifico, opinativo, &c. unde patet ad fundamenta praecitatorum Complutensium, & aliorum Thomistarum.

RESOLUTIO III.

CCIV. Dico 3^o. actualis Scientia, opinio, fides & formido actualis, error, &c. de eodem objecto conclusionis possunt in eundem actum coalescere.

CCV. Probatur, potest idem actus attingere diversa specie objecta sive materialia, sive formalia, non habentia in se oppositionem: atqui isti actus imprimis non habent oppositionem ex parte objecti materialis & formalis quod, quia supponitur esse unum & idem: 2^o. neque ex parte formalium propter quod, ergò, &c. probatur haec minor pro 2^a parte, quia Scientia dicit, *Homo est animal, quia est sensitivus*; opinio & fides humana quia Philosophus dicit; error quia constat animam corpoream; formido actualis forte non est, quia dictum Philosophi est fallibile, & falsum esse potest, & motivum erroris est falsum; sed inter haec nulla est oppositio, ut consideranti patebit, ergò, &c.

CCVI. Probatur major; tum in speciebus Angelicis universalibus; tum in cognitione intuitiva, quae simul & semel cognosco aquam, pisces, terram & hominem, idque sub diversis motivis formalibus; quia in cognitione intuitiva, utpotè objecti in se, objectum formale & materiale non distinguuntur; ac proinde sicuti sunt diversa objecta in se, ita & motiva formalia, ergò, &c.

CCVII. Confirmatur, Scientia definitur *Actus illatus ex motivo necessario*; opinio & fides ex motivo probabilis dicentis; error ex motivo erroneo; formido actualis ex eo, quod motivum opinionis & fidei sit fallibile, erroris falsum, vix attendendo ad objectum conclusionis; sed idem actus, circa idem objectum conclusionis, potest inferri ex illis motivis, ut ex statim dictis patet; ergò possunt omnes illi actus in unum coalescere.

CCVIII. Obijcies 1^o. cum P. Oviedo de anim. Controv. 5^a. punct. 3^o. actus idem non potest esse ex se evidens, & formido actualis; sed ille ex se esset evidens & formido actualis, ergò, &c. Probatur major, quia aliqui effectus ex se spiritualis, posset esse ex se spiritualis per ordinem ad principium spirituale, à quo produceretur, & ex se materialis per ordinem ad principium materiale, ex quo etiam inadèquate produceretur; sed hoc dici non potest; ergò, &c. probatur 1^a minor, quia habet objectum materiale evidens, & deducitur ex motivo evidente: sequela majoris constat à pari.

CCIX. Respondeo, distinguendo majorem; actus idem non illatus formaliter, non potest esse ex se evidens & formido actualis, concedo majorem; ratio est, quia cum hic sit de objecto necessario, cui nullà ratione falsum subesse possit, non potest esse formido actualis, quae esse debet de objecto contingente & fallibili; hic autem solum est in se evidens independenter à motivo, sicut effectus spiritualis est spiritualis in se independenter à principio: actus idem illatus formaliter, non potest esse ex se evidens, & formido actualis, nego majorem; quia illatus ex se includit motivum, quod quia potest esse diversum evidens & inevidens, &c. potest etiam illatus actus ex se esse evidens & inevidens; quomodo etiam diceremus effectum ex se spiritua-

cluderet

cluderet principium spirituale & materiale, ut de homine constat.

ccx. Instabis ex eodem, sicut gymnasium luce à sole perfusum, non potest dici clarum à sole, & obscurum à cathedra, quæ lucem non dat; ita actus ille dici non debet clarus à motivo scientiæ, & obscurus sive inevidens à motivo fidei, erroneus à motivo erroris, & formidolosus à motivo formidinis actualis; quia hæc lucem non dant, sed omnino aliud.

ccxi. Respondeo in primis esse disparitatem, quia scilicet sol & cathedra non sunt de essentia gymnasi; sicut dicta motiva sunt de essentia dicti actus; ut fiat ergo paritas, assumantur illius partes essentielles, v.g. lapides, & non lapides sive trabes; tunc sic retorqueo argumentum, sicut gymnasium potest esse lapideum & non lapideum positivè, prout scilicet constat ex trabibus; ita potest dictus actus esse evidens, & non evidens sive inevidens positivè, prout scilicet reducitur ex motivis opinionis, fidei, &c. 2º. stando in exemplo allato, non video cur gymnasium non possit dici simpliciter luce perfusum à sole, conformiter ad communem loquendi modum, & non luce perfusum positivè, cum addito à cathedra, quam continet & lucem non dat; & sic consequenter de illo actu dic simpliciter esse evidentem à motivo scientiæ; & non evidentem sive inevidentem positivè cum addito à motivo opinionis, fidei, &c. quod evidentiam non dat: hæc enim purè spectant ad modum loquendi.

ccxii. Objicies 2º. idem actus non potest simul esse scientificus & erroneus, verus & falsus, clarus & obscurus; sed talis esset dictus actus; ergo, &c. Minor patet, quia esset scientificus, verus & clarus à motivo scientiæ, erroneus & falsus à motivo erroris, obscurus à motivo fidei, ergo, &c.

ccxiii. Respondeo ut antè: idem actus non illatus, vel illatus ex eodem motivo, non potest esse, &c. concedo majorem; illatus ex diversis dictis motivis, nego majorem; quia ille habet se instar duorum actuum, quorum unus tenderet in conclusionem objectivam eandem propter unum motivum, alius propter aliud; quæ nullam dicunt oppositionem, & eorum unus potest esse scientificus, alter erroneus, &c.

ccxiv. Objicies 3º. actus ille, nec est opinionis, nec scientiæ, &c. sed 3º. cujusdam rationis, utpotè ex diversis motivis; sic enim mulus, utpotè ex diversis principiis, est diversæ speciei ab equo & asino.

ccxv. Respondeo esse disparitatem, in eo, quòd quando generatur mulus non sunt principia adæ-

quata ad equum aut asinum generandum; quando autem ex illis motivis generatur unus actus, qui simul sit opinionis, scientiæ, &c. sunt principia adæquata opinionis, scientiæ, &c. Deinde dic longè aliud esse de intentionalibus, quàm de Physicis; nam summe opposita, unà cognitione cognosci possunt, Physicæ tamen in unum coire non possunt, ut omnes fatentur. Hic tamen

ccxvi. Adverte me ubiq; locutum de fide humana; non quòd ex natura rei fides divina simul esse non possit in intellectu cum illis actibus, aut in eundem actum cum illis coalescere; quia in statu viæ interdum puto esse simul, & fortè in eundem actum coalescere, sed ne inde inferatur in Beatis remanere fidè, errorem, formidinem quæ actualem simul cum cognitione Dei intuitiva; quia putamus hæc ex conditione status beatifici simul esse non posse, licet Physicam oppositionem, non secus ac illati ex diversis mediis, non habeant.

ccxvii. Objicies 4º. si Scientia actualis, opinio, fides, formido actualis, error, &c. possent in eundem actum coalescere; posset idem actus, ob diversa media, esse verus ac supernaturalis ex una parte, & falsus ac erroneus ex alia parte: sed hoc fieri non potest; ergo, &c. Major videtur legitime sequi ex illa Resolutione, & solutionibus ad objectiones præcedentes: probatur minor, quia impossibilis est actus supernaturalis falsus, ut communiter docent Theologi, quia Deus infinite bonus, non videtur ad actum falsum, erroneum, &c. specialem concursum præstare posse; quod tamen fieret, ergo, &c.

ccxviii. Respondeo Resolutione nostram solum militare, quoad conclusiones naturales; tum quia jam monuimus illam quoad fidem Divinam nihil concludere; tum quia, quoad conclusiones supernaturales, discussionem Theologis prudenter relinquimus; quamquam monere lubeat, opera supernaturalia, ut Sacram Communionem, Confessionem Sacramentalem, opera misericordiæ, &c. vitari sapientius ex fine malo; Deum tamen, aut Dei infinitam bonitatem, fortè non dedecere, ad illa speciali & supernaturali modo concurrere; non quidem quatenus vitantur; sed quatenus sunt Sacra Communio præcisè, Confessio Sacramentalis præcisè, &c. quibus consequenter fortè responderi posset, nil esse contra Dei bonitatem, Deum concurrere speciali concursu ad actum fidei Divinæ supernaturalis & verum quatenus revelatione Divinæ nititur, & ad eundem fidei humanæ naturalem & erroneum aut falsum quatenus nititur dicto Petri v.g. quod audierit Deum id revelantem; sed malim, ut dixi, id Theologis discutiendum relinquere.

DISPUTATIO VLTIMA.

De habitu Logicæ.

D V B I U M I.

Quodnam sit objectum materiale Logicæ.

RESOLUTIO.

ccxi. **D**ico, objectum materiale Logicæ sunt voces, res, & tres mentis operationes; tribus hisce partibus collectivè sumptis, vix ullius sententia favere videtur, nisi fortè P. Fonseca, 2º.

R. P. Francisci Bone Spæi Logica.

Met. cap. 3º. q. 1. divisim verò 1ª pars est Nominalium, quàm contrà Reales acutissimè suscitavit Okamus. 2ª. plurimorum, qui Reales dicuntur, & nominatim PP. Ioannis à S. Thoma. Log. q. 1. art. 3º. qui pro illa citat D. Thomam. Merineri. Log. q. 4. procemiali. sect. 4. Poncii Log. Disp. 2ª. q. 4. Concl. 2ª. & 3ª. Conimb. Suarez, Revii, Arriagæ, Hurtadi, Oviedi, Murcia, Comptoni, &c. pro qua etiam stare videtur D. Thomas in principio librorum posteriorum, ubi sic habet, *ars* *quædam*

quædam necessaria est, ut sit directiva ipsius actus rationis, per quam homo in ipso rationis actu ordinatè, faciliter, & sine errore procedat. & hæc est ars Logica, id est rationalis Scientia, quæ non solum rationalis est, ex hoc, quod est secundum rationem, quod est omnibus artibus commune; sed etiam ex hoc, quod est circa ipsum actum rationis, sicut circa propriam materiam.

ccxx. Probatur; quia objectum materiale Logicæ est id, circa quod versatur Logica, & de quo facit suas demonstrationes; atqui circa illa omnia (ut constat ex Porphyrio & Prædicamentis & libris Analyticis in quibus de propositione & Syllogismo vocali, reali & mentali) versatur, & de illis facit suas demonstrationes; dicere autem cum P. Comptono Disp. 3^a. Logic. Sect. 2^a. Aristotelem ibi ex parte Grammaticum egisse; est Philosophum ad Grammaticam remittere, & cælum in terram detrudere: quis enim umquam vidit, tam doctum Grammaticum, qui definire Syllogismum, & vitia Syllogismi deprehendere sine Logica posset? respondebit fortè, Logicam esse supplementum Grammaticæ; fateor, si admitat Theologiam, & sic de aliis Scientiis, esse supplementum Philosophiæ, Medicinam Physicæ, &c. quæ nullus admiserit, ergo, &c.

ccxxi. Confirmatur 1^o. Logica, ut infra patebit, est scientia practica; sed objectum materiale scientiæ practiciæ, est id circa quod versatur modo practico, sive pro quo rectè formando tradit regulas & præcepta; ergo objectum materiale Logicæ sunt voces, res, & tres mentis operationes; probatur consequentia, quia de rectè formandis definitionibus vocalibus, realibus & mentalibus, propositionibus, & Syllogismis similibus, indifferenter præcepta & regulas tradit, sicut in Logica indifferenter fiunt: Item in Logica definitionem, propositionem & Syllogismum rectè dividi in vocalem, realem & mentalem, omnino clarum est, ergo, &c.

ccxxii. Confirmatur 2^o. quia multa sunt præcepta Logicæ, quæ vel solis vocibus conveniunt, ut quod definitio debeat idem significare, quod definitum; vel solis rebus, ut quod definitio debeat converti cum definito; vel quod solis conceptibus, ut quod syllogismus, qui gignit scientiam formalem, debeat constare ex necessariis Præmissis, ergo, &c.

ccxxiii. Obijcies 1^o. cum P. Oviedo Log. Controv. 2^a. Logica agit de definitione, propositione & argumentatione; sed definitio, propositio & argumentatio important conceptus formales, ergo, &c.

ccxxiv. Respondeo distinguendo minorem; sed definitio, propositio & argumentatio ut mentales important conceptus formales, concedo minorem; ut vocales, aut reales, nego minorem.

ccxxv. Instabis ex eodem, definitioni, propositioni & argumentationi vocali & reali, eatenus tantum potest regula præscribi ut rectè fiant, quatenus subsunt mentalibus, ergo, &c. Probatur assumptum, quia cum in seipsis non fiant; sed in formalibus tantum, ex quibus resultant, in seipsis dirigi non possunt, sed tantum in formalibus.

ccxxvi. Respondeo negando assumptum, ad ejus probationem respondeo illas verè in seipsis fieri; sicut verè in seipsis sunt genus & differentia; subiectum, copula & prædicatum. &c. vel, si hoc nolis, dic illas non fieri in seipsis secundum entitatem, bene autem secundum ordinem generis & differentiarum; subiecti, copulæ & prædicati; præmis-

sæ & conclusionis; secundum productionem hoc potius, quam alio tempore; præ aliis actibus, &c.

ccxxvii. Obijcies 2^o. 1^a mentis operatio non est dirigibilis per Logicam, ergo non est de objecto materiali Logicæ: consequentia patet: probatur antecedens, quia sæpè in nobis naturaliter & necessario excitatur, ergo, &c.

ccxxviii. Respondeo negando antecedens, ad ejus probationem respondeo illas quidem apprehensiones, quæ naturaliter & necessario excitantur, non esse dirigibiles per Logicam; bene autem alias consimiles, quæ non ita excitantur: quid enim impedit apprehensiones possibiles juxta has regulas, ad universaliè per apprehensionem oportet multa per modum unius apprehendere. Ad definitionem per apprehensionem, oportet unum per modum generis, alterum per modum differentiarum apprehendere, actu fieri, ac per eas dirigi & regulari.

ccxxix. Nec refert 1^o, quod 1^a, & duæ aliæ mentis operationes sint objectum materiale librorum de Anima: 2^o. quod non habeant objectum determinatum: 3^o. quod 1^a. propter 2^{am} tractetur, & 2^a. propter 3^{am}; non refert, inquam, quia sunt objectum materiale Logicæ, ut ab ipsa Logica dirigibiles; librorum verò de Anima, ut vitales operationes, ac proinde sub alia consideratione: Deinde ad esse objecti materialis, alicujus scientiæ, satis est, quod sint in se determinatæ, licet in omne objectum indifferenter tendant: Denique ita 1^a propter 2^{am}, & 2^a propter 3^{am} tractantur, ut tamen etiam propter 1^{am} se tractentur.

ccxxx. Obijcies 3^o. modus sciendi & differendi est objectum Logicæ; ergo non voces, res & tres mentis operationes: Consequentia patet; probatur antecedens; quia inde Logica communiter dicitur modus sciendi alias scientias.

ccxxxi. Respondeo distinguendo antecedens, si modus sciendi sumatur præcisè pro ipsis regulis & præceptis, quibus dirigit ad formandas conclusiones scientificas, modus de illo sciendi, &c. est objectum Logicæ; nego antecedens; quia ut sic nullo modo in Logica tractatur propter se, sed propter tres mentis operationes, &c. quas dirigit, & respectu quarum est Logica docens: si sumatur pro definitione, divisione, propositione & argumentatione, quæ sunt modi sciendi, utpotè principia, ex quibus conclusiones scientificas deducimus, concedo antecedens: verum modus sciendi ut sic, est ipsæ tres mentis operationes, res & voces.

D V B I V M I I.

Quænam sit objectum formale sub quo Logica.

ccxxxii. **D**ico, objectum formale sub quo Logica est ipsa dirigibilitas objecti materialis; non quidem in eo sita, quod definitio v.g. sit secundum intrinsecam suam malefactibilis, ac proinde secundum intrinsecam suam per præcepta Logica bonæ definitionis, v.g. dirigibilis; nam cum essentialiter constet genere & differentia, & non sit definitio nisi iis constet, non est magis, quam homo, malefactibilis secundum intrinsecam; ac proinde, nec secundum ea per præcepta Logica bonæ definitionis dirigibilis, (& idem est de propositione, argumentatione, &c.) imò talis essentialiter esset, etiam impossibilibus factis dictis præceptis Logicæ, ut consideranti patebit; sed in eo, quod Logica, traditione

traditione regularum & præceptorum, vel, melius, signorum à posteriori, ex quibus cognoscamus aliquid esse bonam definitionem, propositionem & argumentationem, moveat voluntatem ut intellectui potius imperet hunc actum habentem conformitatem cum dictis regulis & præceptis, vel, melius, signis, quam alium habentem difformitatem; idem dic proportionaliter de voce & re.

CCXXXIII. Probatur hæc Resolutio; quia non apparet, in quo alio commodius constitui possit, ergo, &c.

CCXXXIV. Obijcies, nusquam Logica demonstrat objectum suum materiale esse dirigibile; ergo dirigibilitas, &c. non est objectum formale sub quo Logica.

CCXXXV. Respondeo distinguendo antecedens, nusquam Logica expresse demonstrat objectum suum materiale esse dirigibile, concedo antecedens: implicite, nego antecedens: per hoc enim, quod definitiones, divisiones, &c. dirigat per regulas & præcepta sensu dato, satis demonstrat objectum suum materiale esse dirigibile. Adde Logicam solum de suo objecto quod & materiali aliquid demonstrare debere, non autem de suo objecto sub quo & formali, quale est dicta dirigibilitas.

D V B I V M III.

Quodnam sit objectum attributionis Logica.

Ante Resolutionem
CCXXXVI. **A** Suppono ex insinuatibus supra objectum attributionis alicujus scientiæ, esse illud, ad quod cætera illius scientiæ prævia objecta ordinantur & referuntur; quod tamen ex communi pronuntiato, vel hominum beneplacito (quia id fundari non potest in natura objectorum, ut dubio 6^o disputationis 2^a. vidimus) ad alterius scientiæ objectum, non referatur. Hoc supposito, sit

R E S O L U T I O.

CCXXXVII. **D**ico, objectum attributionis Logicae est Syllogismus perfectus.

CCXXXVIII. Probatur, quia illud est objectum attributionis alicujus scientiæ, ad quod cætera omnia, quæ in illa tractantur, referuntur & ordinantur; sed Syllogismus perfectus est talis respectu Logicae; ergo, &c. probatur minor, quia definitio ad propositionem, propositio ad argumentationem perfectam, sive Syllogismum ordinatur, ergo, &c.
CCXXXIX. Confirmatur 1^o, si objectum attributionis Logicae aliquid aliud esset, maxime esset, vel Syllogismus probabilis sive opinio, vel scientificus sive demonstratio: sed neutrum ex his esse potest; ergo, &c. Probatur minor, cur enim demonstratio potius quam opinio, aut è contrà? neque enim opinio ordinatur ad demonstrationem ut pars illius, neque è contrà demonstratio ad opinionem; neque cognitio opinionis plus juvat ad cognitionem demonstrationis, quam cognitio demonstrationis ad cognitionem opinionis, ergo, &c.

CCXL. Confirmatur 2^o. Syllogismus perfectus comprehendit demonstrationem & opinionem; sed quidquid in Logica tractatur ad alterutram (saltem ex communi pronuntiato, & beneplacito Philosophorum) ultimum ordinatur, ergo, &c.

CCXLI. Adde per Syllogismum perfectum nos hic intelligere, non Syllogismum perfectum in communi, quia ille ut sic, non est operabilis, prout debet esse objectum Logicae, præsertim attributio-

nis; sed omnes in individuo, quos importat Syllogismus perfectus ex parte objecti, non quidem ut distincte cognitos, prout in tali & tali materia exerceri possunt, quia ut sic ad alias scientias particulares pertinent; sed indifferenter quatenus in hac, vel illa materia exerceri possunt; vel potius, quatenus Syllogismos perfectos ex qualibet materia.

D V B I V M IV.

Quid Logica docens & utens; & quomodo inter se distinguantur.

R E S O L U T I O I.

CCXLI. **D**ico 1^o. Logica docens actualis, est actus, quo cognoscuntur regulae & præcepta bene differendi, id est, actus, quo cognoscitur modus bonæ divisionis, definitionis, demonstrationis, &c. formandæ: habitualis verò est habitus ex tali actu relictus inclinans ad similes actus.

CCXLII. Adde Logicam docentem ab aliis dici avulsam; quia sistit in sola contemplatione præceptorum & regularum, cum avulsione à certa materia, id est, abstrahendo à materia determinata, in qua ad definitionem, divisionem, argumentationem, &c. applicentur.

R E S O L U T I O II.

CCXLIV. **D**ico 2^o. Logica utens actualis, est actus utens applicans & exercens illa præcepta & regulas in certa materia: habitualis verò est habitus ex tali actu relictus inclinans ad similes actus utens.

CCXLV. Adde 1^o. Logicam utentem actualem ab aliis dici conjunctam; quia præcepta Logicae docentis actualis conjungit & applicat certæ cuidam materiæ, v.g. Physicæ, Metaphysicæ, &c.

CCXLVI. Adde 2^o. Logicam utentem actualem subdividi in utentem activè, & utentem passivè: utens activè est ipsa Logica docens actualis, ut actu movens voluntatem ad imperandum potius productionem actus conformis regulis & præceptis, quæ tradit, quam difformis. Utens passivè est quivis actus directus ab utente activè, sive quælibet definitio, divisio, argumentatio, &c. facta cum reflexione ad regulas & præcepta Logicae docentis; undè quælibet alia definitio, divisio, &c. sine hac reflexione & vi solius ingenii facta, non est Logica artificialis (de qua hic) utens passivè, sed naturalis, de qua aliquid infra. Hinc

CCXLVII. Colliges omnes actus etiam aliarum quarumcumque scientiarum rectè dici Logicas partiales utens passivè, & consequenter omnes illas simul sumptas esse unam Logicam artificialem, utentem passivè totalem; quod verò P. Arriaga hic dicit illas non debere dici Logicam utentem, sed Logicam utentes, quia non sunt Logica; verum est de Logica utente activè, falsum de Logica utente passivè; nam Logica utens passivè, idem est, quod Logica docta, directa, &c. sive idem, quod actus per Logicam docentem directi, & utentem activè ad usum redacti, quod optimè convenit illis scientiis, ut consideranti patebit.

R E S O L U T I O III.

CCXLVIII. **D**ico 3^o. Logica docens actualis ab utente activè sumpta, non distinguitur realiter, sed solo connotato.

CCXLIX. Probatur 1^a pars, quia nihil evincit talem distinctionem, ut argumentorum solutione

patebit; siquidem unus & idem actus, sub diversa consideratione, potest fungi munere Logicae docentis actualis, in quantum scilicet cognitio regularum & præceptorum bene differendi, & Logicae activæ utentis, in quantum scilicet actu movens voluntatem ad imperandum potius productionem actus conformis regulis & præceptis suis sive sibi, quàm difformis, ergo, &c.

ccl. Probatur 2^a pars, quia ille quidem actus, qui cognoscit præcepta & regulas, si ibi sistat, est Logica docens actualis, si verò illa applicet certæ cuidam materiæ, sive si actu moveat voluntatem, &c. est Logica utens activæ; sed tota istarum Logicarum distinctio in eo est, quod utens activæ connotet exercitium, quod non connotat docens actualis, ut patet, ergo solo cōnotato distinguuntur.

ccli. Obicies tamen, datur docens actualis sine utente activæ, ergo distinguuntur realiter: antecedens patet à simili ex aliis: sicut enim datur ars docens actu tantum, sine arte utente actu, ut in eo, qui rancus factus est, ita & Logica, &c.

cclii. Respondeo distinguendo antecedens; datur docens sine utente activæ, secundum quod utens activæ connotat in obliquo, concedo antecedens; secundum quod importat in recto, nego antecedens; hoc autem solum est distinguere connotato: ad probationem antecedentis similiter distingue, & adde esse disparitatem inter Logicam & cantum, seu artem docendi cantum; nam in Logica, docens & utens activæ pertinent ad eandem potentiam, intellectum scilicet; in cantu verò, docens quidem ad intellectum, sed utens ad potentiam vociferativam pertinet, quæ, cum possit habere specialem difficultatem in voce proferenda, distinctam ab ea, quæ est in intellectu, fit, quod possit cantus docens distinguere realiter à cantu utente activæ.

RESOLUTIO IV.

ccliii. Dico 4^o. Logica utens passivè ab utente activæ & docente actuali distinguitur plerumque realiter, interdum connotato tantum.

ccliv. Probatur 1^a pars, quia Logica utens passivè plerumque est actus alterius scientiæ directus, utens verò activæ & docens actualis est dirigens; sed actus directus alterius scientiæ, & dirigens, distinguuntur realiter, non secus ac ipsæ diversæ scientiæ & diversi habitus, à quibus adæquatè producuntur, ergo, &c.

cclv. Confirmatur, ubi sunt diversæ difficultates superandæ, requiruntur diversi habitus & actus; sed alia est difficultas superanda in objecto Logicae docentis actualis & utentis activæ, alia in objecto utentis passivè, si alterius scientiæ, quàm Logicae; ergo, &c.

cclvi. Probatur 2^a pars, quia idem actus potest esse directus unius cognitionis Logicae, ut v. g. actus definitionis à Logica docente definitionem debere constare genere & differentiâ, & dirigens respectu demonstrationis, quæ constare potest & dirigi definitione, ergo.

D V B I V M V.

An Logica sit propriè dicta scientia, eaque practica, an speculativa.

Ante Resolutionem

cclvii. A Suppono 1^o. Logicam utentem activæ, ut utentem activæ formaliter non esse scien-

tiam, quia ut sic nullas habet demonstrationes; sed est mera applicatio Logicae docentis actualis ad exercitium; nec ulla conclusiones scientificas ut talis elicit, quod ad scientiam necessarium est.

cclviii. Suppono 2^o. ad hoc, ut aliqua disciplina denominetur scientia, sufficere, quod per se ordinetur ad aliquid demonstrandum de suo objecto, etiam per accidens nonnullas conclusiones autoritatis humanæ, ut Philosophorum, probabiles & controversas includat; alioqui vix ulla esset scientia, cum omnes scientiæ tales conclusiones includant, ut constat ex tot opinione in his diversitate, quæ, non obstantibus summi ingenii viris, qui intra tot sæcula cōposuerunt, non cessat.

cclix. Suppono 3^o. eodem jure, ad hoc, ut aliqua scientia denominetur practica, sufficere, quod per se regulas & præcepta tradat de formando suo objecto, etiam aliquas conclusiones speculativas includat; ut ex illis moveatur ad formandas practicas; & sic ordinetur ad praxim dictam. Unde è nostris eximius P. Bacho in 1^{um} Prologi. q. 4. art. 2. §. 3. v. 2. rum est quod habitus dirigens, & utens, & faciens objectum (quod est opus) est practicus; & infradirigere ad operationem (sub qua §. 1. comprehendit intellectualem) bonam, pertinet ad habitum practicum. His suppositis, fit

RESOLUTIO I.

cclx. Dico 1^o. Logica est scientia propriè dicta: cclxi. Probatur, quia de suo objecto aliquid demonstrat, ut quod definitio sit notior definitio hoc modo, omnis oratio naturam rei explicans est notior explicato; sed definitio est talis, & definitum explicatum; ergo definitio est notior definitio: Item quod demonstratio sit scientia hoc modo, omnis syllogismus, &c.

cclxii. Confirmatur ex Aristotele lib. 1^o. Prior. c. 10. ubi agit de pertinentibus ad Logicam, & tamè dicit se egisse de scientia demonstrativa, ergo, &c.

cclxiii. Obicies tamè ex eodem lib. 2^o. Metaph. cap. 3^o. absurdum est simul querere scientiam & modum sciendi, per quem intelligit Logicam, & rectè, quia est instrumentum sciendi alias scientias: item enumerans scientias, omittit Logicam, ergo, &c.

cclxiv. Respondeo Aristotelem per scientiam intelligere distinctam à Logica, ita ut velit absurdum esse querere Physicam v. g. Medicinam, &c. sinè Logica; quia hæc ad illas acquirendas valdè faciliat, ut dubio sequenti videbimus; quod verò enumerans scientias, Logicam omittit, est argumentum autoritatis negatæ, quod nihil concludit; vel dic, solas scientias speculativas ibi enumerare.

cclxv. Adde non magis ob stare, quod Logica sit modus & instrumentum sciendi, ad hoc, ut sit scientia; quàm ob stare malleum esse malleum, & simul mallei faciendi instrumentum: Logica enim solum est modus sciendi alias scientias, vel seipsam secundum diversas sui partes, in quo nullum absurdum.

QVÆSTIVNCVLA I.

An Logica sit ars.

cclxvi. R Espondeo affirmativè; sive per artem intelligatur actus dictans aliquid faciendum, quomodo est docens; sive intelligatur operatio aliqua externa relinquens opus externum post se, ut ædificatio, quomodo est in definitione, argumentatione vocali, &c. utens passivè; sive actus intellectus dictans tale opus faciendum, quomodo etiam est docens activæ.

QVÆ-

QVÆSTIVNCVLA II.

An omnis ars juxta tertiam acceptionem
sit vere scientia practica.

Respondeo affirmative, ratio est, quia
suas conclusiones per principia evi-
dencia demonstrat, ut ars futoria, v.g. cum pro bonis
calceis faciendis docet soleam inferiorem debere esse
solidiorem hoc modo, quod magis teritur debet esse soli-
dior; sed solea inferior magis teritur; ergo debet esse soli-
dior. Item ars pharmacopoeia, cum docet odorifera
non debere diu bullire, hoc modo, quod diu bulliendo odo-
rem suum evaporat, non debet diu bullire; sed pharma-
cia odorifera diu bulliendo odorem suum evaporat; ergo
non debet diu bullire.

RESOLUTIO II.

Dico 2^o. Logica est scientia practi-
ca, ita Okam & Aureolus cum
Nominalibus, D. Murcia & Authoribus Societatis
communiter, contra Scotistas & Thomistas com-
muniùs, nominatim PP. nostros Complut. Ma-
sium, Sotum, Sanchez, &c.

CCLXIX. Probatur 1^o. ex Aristotele 1^o. Metaph.
cap. 2^o. illa est scientia practica quæ non est gratia sui;
sed Logica non est gratia sui, ergo, &c. Probatur
minor, quia tota est in efficiendis suis objectis v.g.
termino, propositione, argumentatione, &c. & ad
ea efficienda regulas & præcepta tradit, ergo, &c.

CCLXX. Probatur 2^o. quia Logica tota est in for-
mandis definitionibus, propositionibus, &c. quæ
sunt praxes, in quantum fiunt juxta regulas &
præcepta de illis faciendis, licet secundum se sum-
ptæ, sint speculationes, ergo, &c.

CCLXXI. Confirmari potest contra Thomistas,
ex Divo Thoma opusc. 70. q. 5. art. 1. in Boë-
tium, ubi expressè affirmat, Logicam non esse speculati-
vam; sive non contineri sub Philosophia speculativa & o-
pusc. 71^o. q. 4. art. 2^o. cognitionem scientiæ speculati-
væ queri propter seipsam: quod Logica non convenit;
quia queritur propter alias scientias (ut ibidem
docet) & propter suum objectum efficiendum:
quod autem S. Thomas 1. 2. q. 57. art. 3. ad 3^{um}
dicit, etiam in ipsis speculabilibus est aliquid per modum
cujusdam operis, puta constructio syllogismi aut orationis
congruæ, &c. non convincit D. Thomam fecisse Lo-
gicam speculativam; sed tantum opera speculabi-
lia sive intellectualia, ut sunt Syllogismus, oratio
congrua, &c. imitari opera Mechanica, externa &
per corpus exercita; per ordinem ad quæ habitus
speculativi sive intellectuales (quæ confundit) sunt
quidem practici cum addito intellectuales, & artes
cum addito liberales; sed practici & artes simplici-
ter, non nisi per similitudinem & imitationem; quia
scilicet practicum & ars simpliciter dicitur per or-
dinem ad opera Mechanica, externa & per corpus
exercita: hæc patebunt conferenti argumentum
3^{um} cum Resp. ad 3^{um}; in id, dum argumentum
istud, quod sic habet, ita artes liberales sunt speculati-
væ, quod in sua Responsione impugnatur, attendo,
videtur D. Thomas omnino sententiam nostram
confirmare & oppositam rejicere. Pro solutione ve-
rò aliarum objectionum, quæ contra nostram Re-
solutionem fieri possent, vide, quæ supra dixi-
mus de scientia practica in genere.

QVÆSTIVNCVLA I.

Quid scientia activa & factiva, & qualis
sit Logica.

Respondeo scientiam activam dici ab
actione, ut condistincta à factione,
quomodo est operatio immanens, id est, manens
in ipso operante, ut actio intellectus in intellectu,
voluntatis in voluntate; undè illa scientia, quæ ta-
lem operationem dirigit, dicitur activa: scientia
verò factiva à factione, ut condistincta ab actione,
quomodo est operatio transiens in externam ma-
teriam, cujus opus remanet post ipsam; sive diu
ut domus post domificationem; sive non diu, ut
sonus chitæ post chitarizationem: hinc patet Lo-
gicam esse scientiam activam & factivam.

QVÆSTIVNCVLA II.

Quid circa questionem, an Logica sit practica
sensit eximius P. noster racho.

Respondeo mentem ipsius mihi esse
valde obscuram, nisi nobiscum di-
cas ipsum, in 1^{um} Prologi. q. 4. art. 2^o. §. 3^o. ubi
questionem hanc tractat; sumere speculativum
prout opponitur practico simpliciter, sive illi, quod
dirigit ad opus externum, & non prout opponi-
tur practico per similitudinem & imitationem,
sive illi, quod dirigit ad opus internum & intelle-
ctuale; juxta mentem D. Thomæ. num. cclxxi.
allatam: si verò id nobiscum (quod omnino venti-
milius) dixeris; dum docet Logicam esse specula-
tivam prout speculativum practico simpliciter op-
ponitur, idiplum, quod nos, & nihil plus docet.

DVBIVM VI. & VLTIMVM.

An & quantum Logica sit necessaria ad alias
scientias acquirendas.

Antè Resolutionem
CCLXXIV. Suppono 1^o. Logicam ab Aristo-
tele Rethoric. 1^o. cap. 1^o. posse partiri 1^o. in natu-
ralem actualem, & est cognitio elicita sine admini-
culo artis Logicae, dictans regulas & præcepta ad
certò & promptè ratiocinandum; & naturalem ha-
bitualem, & est ipsamet intellectus: 2^o. in artifi-
cialem actualem, & est cognitio elicita cum admini-
culo artis Logicae dictans regulas & præcepta ad
certò & promptè ratiocinandum, & talis est Logi-
ca, quam tradimus; & artificialem habitualem, & est
qualitas inclinans ad similes cognitiones.

CCLXXV. Suppono 2^o. dupliciter aliquid dici ne-
cessarium: 1^o. secundum quid, sive ad melius esse,
& est id, sine quo quidem finis haberi potest, sed
non tam facile, quam cum illo; sic equus, vel cur-
rus est necessarius ad iter perfolvendum, 2^o. simpli-
citer & absolute, sive ad esse, & est id sine quo fi-
nis nullatenus obtineri potest, ita est necessaria po-
tentia ad producendum actum, cibus ad mandu-
candum aut vitam producendam. His suppositis, sit

RESOLUTIO I.

CCLXXVI. **D**ico 1^o. Logica naturalis habitualis
est simpliciter & absolute necessa-
ria ad omnes scientias acquirendas, utpotè intelle-
ctus ipse; non item actualis: conclusio patet pro
utraque parte. Quare sit

T

RESO-

RESOLUTIO II.

CCLXXVII. **D**ico 2^o. Logica artificialis ad alias scientias acquirendas est necessaria secundum quid, id est, ut facilius & commodius obtineantur. Hæc est communis omnium.

CCLXXVIII. Probatur 1^o. experientia docet eos, qui in Logica artificiali versati sunt, multò facilius acquirere alias scientias, præsertim quoad conclusiones difficiles & minùs obvias, quàm alii, qui in dicta Logica versati non sunt, ergò, &c. Probatur antecedens, quia callent modum definiendi, divi-
dendi, argumentandi, &c. quæ sunt instrumenta sciendi alias scientias, & se invicem, ergò, &c.

CCLXXIX. Probatur 2^o. Logica tradit medium facile, certò & tutò procedendi in iis, quæ à ratione pendunt; sed omnes aliæ scientiæ à ratione pendunt, ergò &c.

CCLXXX. Major probatur ex Patribus, à quibus Logica vocatur *scientiarum Clavis*, *Regula* & *Mensura artium*, *rationis Oculus*, *humanæ mentis Examen*, & *Libra veritatis*. Plura August. lib. 2^o. de ordin. cap. 20. *Logica docet docere, docet discere, hæc sola scientes facere potest*. Item Hieronymus in Ezechielem: *Quidquid perversorum dogmatum est, & putatur robustum, hæc arte (puta Logica) subvertitur, & instat incendi in cineres, favillasque dissolvitur*, ergò, &c. Hinc

CCLXXXI. Colliges SS. Patres alios, qui acriter in Logicam invehuntur, asserentes illam perniciosam & à dæmone inventam: non tam in Logicam, vel Logicos invehi; quàm in Logicæ abusum; multi enim sunt Sophistæ, qui Logicam non utuntur, sed abutuntur, & suis Sophisticis contentionibus ac cavillationibus veritatem oppugnantes, & suos errores speciosis, sed falsis, argumentationibus comprobantes, Christianos à fide Catholica avertunt: undè Apost. Paul. ad Coloss. 2^o. ait, *videre ne quis vos decipiat per Philosophiam & inanem fallaciam*: ex illis autem infero nostram Logicam esse utilissimam; non quâ parte decipere potest; sed quatenus deceptiones & inanes hæreticorum fallacias facile detegere potest. Quare August. lib. 1^o. contra Cresconium, Grammatic. 14^o. *Stoici maxime Dialectici fuerunt, cur Paulus ne conferrent cum illis; non eos divitavit? aut si Paulus Dialecticus erat, & ideo conferre cum Stoicis non timebat; jam cave ne cuiquam Dialecticam pro crimine objeceris, quâ usos Apostolos constiteris*. Clemens Alexan. 1^o. Stromat. *doctrina Salvatoris ipsa sibi sufficit, cum sit potentia & sapientia Dei, si tamen Philosophia accesserit, non quidem valentior facit veritatem; sed Sophisticos insulcus amolitur, & insidias avertens, sepes est, & lorica divinæ vineæ*. Et certè equidem; si quidpiam ex Philosophia malè Reipublicæ eveniat, malitiæ hominum, non Philosophiæ utilitati adscribendū est: si enim Philosophia Sophistas pariat cavillatores: Theologia hæreticos, Jurisprudencia nebulas forenses & Reipub. pestes, Medicina homicidas, & hominum intoxicatores, parit; quia tamen per se sunt valde utiles, communi voce commendantur.

RESOLUTIO III.

CCLXXXII. **D**ico 3^o. Logica artificialis non est simpliciter & Physicè necessaria ad omnes alias scientias acquirendas, etiam particulares.

CCLXXXIII. Probatur, quia nulla est conclusio naturalis, etiam obscurissima, in particulari, quæ

assiduo studio & Logicæ naturalis beneficio, sine ope Logicæ artificialis, elici non possit, & sic de aliis successivè, ergò, &c. antecedens patet, quia naturalis est.

CCLXXXIV. Confirmatur; vel conclusio erit obscura ratione materiæ, & hæc obscuritas, five difficultas, à Logica artificiali superari non potest, ut suprà vidimus; sed à scientia, in qua fit, superari debet; vel ratione terminorum, & hanc superare potest intellectus, si præmissis penetrandis sollicitè attendat, ut exemplo Aristotelis constat, ergò, &c.

RESOLUTIO IV.

CCLXXXV. **D**ico 4^o. Logica artificialis est simpliciter necessaria, moraliter loquendo, ad alias scientias difficiles & obscuras acquirendas. ita August. lib. 3^o. contra Acad. c. 7. Plato lib. 7^o. de Republica. Aristoteles 2^o. Metap. 15. nostri Complut. & alii, post ipsos; contra Landunum, Iavellum, Conimb. &c. sed

Antè Probationem

CCLXXXVI. Adverte Logicam artificialem à me dici moraliter loquendo simpliciter necessariam, eo sensu, quò Luc. 17. dicitur *neesse esse ut eveniam scandala*; item eo sensu, quò Theologi dicunt hominem non posse diu vitare omne peccatum veniale collectivè, aut observare collectivè longo tempore, omnia præcepta legis naturalis (puta abique auxilio indebitæ gratiæ actualis); quia scilicet hominum nimium est suâ voluntate inconstans & instabilis, ut hoc faciat: idem dic de intellectu, quia nimium imbecillis est & ad errandum proclivis, ut unius scientiæ omnes conclusiones scientificas difficiles & obscuras, absq; auxilio Logicæ artificialis sine errore assequatur; licet absolute & Physicè possit. Hinc

CCLXXXVII. Probatur conclusio, in omni scientia totali, præter claras ac evidentes conclusiones, sunt nonnullæ obscuræ & inevidentes; ergò Logica artificialis, moraliter loquendo, est simpliciter necessaria, &c. Probatur antecedens, quia intellectus hominis, ut potè immersus organo corporeo, valdè imbecillis est, & valdè citò debilitatur; imò interdum nimio studio turbatur; quod timens homo, sepe studium mutat: sed ad acquirendas omnes istas obscuras & inevidentes conclusiones collectivè, imò etiam sæpè (ut experientia docet) ad unam similem acquirendam, requiritur magna virtus, optima constitutio intellectus, itemque longum studium, imò longius interdum, quam daret vita hominis, ergò, &c.

CCLXXXVIII. Obijcies 1^o. potest ingeniosus aliquis omnes conclusiones obscuras distributivè acquirere; ergò & omnes collectivè.

CCLXXXIX. Respondeo 1^o. antecedens moraliter fortè esse falsum, ut ex allata probatione patet. 2^o. retorquendo argumentum in scandala, peccata venialia & præcepta, de quibus suprà; deinde possum equitare sine omni equo distributivè; ergò & sine omni equo collectivè, negatur consequentia; à sensu enim distributivo ad collectivum, per se nulla est consequentia, ut patet in Physica, Disp. de Infinito.

CCLXXXX. Obijcies 2^o. Logica artificialis solo beneficio intellectus ob Aristotele inventa est; sed Logica est scientia, ergò similiter aliæ scientiæ sine Logica artificiali, solo beneficio intellectus acquiri possunt.

Respon-

cclxxxxi. Respondeo negando majorem; quia præterquam quod Logica artificialis, 1^{um} fuerit Adamo infusa, sed postmodum, vel per peccatum, vel injuriâ temporum emortua, nō est ab uno viro, aut unius anni spatio vivificata, & mundo restituta; sed longâ plurium observatione, & multorum Sæculorum usu; eam tamen post Arabes multum illustravit & auxit Aristoteles (præsertim quoad artem Syllogizandi) qui ideo per anthonomasiâ Philosophus dicitur: pro illis autem vide Iosephum 1^o. Antiquit. Eugubinum & alios.

cclxxxxii. Instabis; multi fuerunt insignes Iurisperiti & Medici sine Logica artificiali, ergo, &c.

cclxxxxiii. Respondeo negando antecedens; nam tales Iurisperiti non possunt omnes conclusiones, (etsi fortè possint aliquas) in tota materia juris certò demonstrare; sed plitacorum more solâ memoriâ, partem illam juris, quæ de consuetudinibus & legibus tractat, taliter, qualiter callent; nec illa eorum notitia dici debet scientia, sed actus memoriæ: Medici verò, de quibus etiam in Instantia, non scientificam medicamentorum notitiam, sed experimentalem dumtaxat habuerunt; Artificialem tamen habuerint, si, tum hi, tum alii, Logicam hanc, assidue legendo, & maturè speculando, ad majorem Dei gloriam & Virginis Matris honorem nobiscum finierint.

F I N I S.



